

URANIAE, SEU ANIMAE AD CHRISTUM SPONSUM INTER FALLACES ILLECEBRAS PERICLITANTI...

E1 v.1 O quis flammiferum mihi det conscendere currum
 2 qualis Thesbitae missus ab axe fuit !
 3 Quis me, ceratas ut possem sumere pennas,
 4 instruat ingenio, Daedale docte, tuo !
 5 Sola tamen restant scribenda ad carmina pennae.
 6 Juncta nec est humeris nexilis ala meis.
 7 Ergo ad dilectum pro me latura salutem,
 8 nuncia secreti, litera testis eat.
 9 Quid scribam ? Si non temeraria nostra querela est :
 10 stare queror tardos in mea vota dies.
 11 Sponse, quid in causa est ? Mea Lux, mea sola voluptas
 12 quod tam longinquus, tam taciturnus abes ?
 13 Destituis maestam, neque me curare videris.
 14 Dicebas abiens : nostra columba vale.
 15 Evehor aetherias victor rediturus in arces.
 16 Hic tibi promissum vado parare locum.
 17 Exspecta modicum ; donec tua vita revertar.
 18 Si non hoc anno ; forsitan alter erit.
 19 Exspectem ? Totiens quae jam, te absente, racemos,
 20 et canas segetes, lapsaque poma lego.
 21 Quid mihi cum vili terrestris cespite glebae ?
 22 Quid mihi cum caelo, si meus abfit Amor ?
 23 Ex quo signata est liquido pede candida nubes,
 24 quae te suscepit, restituitque Patri :
 25 Quando ego te vidi ? Quoties mihi signa dedisti ?
 26 Ut scirem memorem te procul esse mei.
 27 Et tamen exspecto. Praeter te admittere nullum,
 28 quisquis is est, animo statque sedetque meo.
 29 Me miseram : si sic animo distamus uterque,
 30 sicut inaequalis conditione loci.
 31 Tu fruere caelo : terris ego sola relinquo.
 32 Tu vitae potas flumina ; mortis ego :
 33 te stellis late radians oblectat Olympus :
 34 me stagnans lacrimis imaque vallis habet.
 35 Votum est, in volucrem mutari saepius albam :
 36 utque avis, aerias scindere posse vias.
 37 Invida fata negant. Moles nimis obstat opaca.
 38 Corporis attineor pondere pressa mei.
 39 Talis in Odrisia degit captiva triremi ;
 40 vincata manus manicis, compedibusque pedes.
 41 Haud multis opus est, ut liberer. Annue tantum.
 42 Dic : animosa vola, protinus ales ero.
 43 Interea lacrimis oculi vitiantur abortis.
 44 Quae semper manant more liquentis aquae.
 45 Buxea pallescit facies : color ore recessit.
 46 Qui me cumque vident ; ista, fatentur, amat.
 47 Dumque moras nectis, cessantia sidera culpo.
 48 Nam facie, mors est ipsa, carere tua.

49 At puto, te tantum careo, nulloque dolore
 50 torqueor, et justis causa timoris abest.
 51 Forsan ut agrestem jam spernis, et abjicis aegram :
 52 quaeque olim placuit, displicuisse potest.
 53 Inter adulantem, sed plenos fraudibus hostes
 54 sic vivo, ut salvam me tamen esse negem.
 55 Quos servire mihi tribuisti quinque Ministros,
 56 insultant Dominae, turba molesta, suae.
 57 Visus et auditus, gustusque et tactus ; et ille,
 58 qui vario nasum sensus odore ferit :
 59 audent esse proci, blandoque lacescere palpo.
 60 Omnibus alliciunt ad tua furta modis.
 61 Abscedente uno, succedit ineptior alter.
 62 Paene mihi lis est cottidiana domi.
 63 Thecla feras inter minus oppugnata cruentas,
 64 Antiochi saeva Regis in urbe fuit.
 65 Indomiti caecum manifestant cordis amorem.
 66 Pluribus aut totidem scripta refello notis.
 67 Transmissis tabulis votum extorquere laborant.
 68 Allido terrae, frustra calco pede.
 69 Nec tamen absistunt mordacibus urere dictis.
 70 Naribus indulgent : aure oculoque micant.
 71 Ridentes quaerunt : ubi sit meus ille, tot annis
 72 exspectatus ? Ubi sponsus, amorque meus ?
 73 Ille brevi veniet, respondeo : parcite sannis :
 74 et non tardabit, fallere nescit amor.
 75 Ergo qua possum, famam defendo pudicam :
 76 et mecum tacite flens sine voce gemo.
 77 Uranie cauponis erit ! Clarissima Mopso
 78 nubam ! Me dicet pharmacopola suam !
 79 Praeda mathematicis fiam et cerdonibus ipsis !
 80 Cur non et scurris denique nupta trahar ?
 81 Ludibrium modo sum pictoribus, atque poetis.
 82 Me coquus, et fallax miles habere cupit.
 83 Horreo ; et a collo remove tua brachia, clamo.
 84 Abstrahe lascivas improbe leno manus.
 85 Assiduo stimulis luctans exerceor istis :
 86 nec requies curis tristibus ulla datur.
 87 Tundimur, ut rupes, in quas cum turbine rauco,
 88 fluctibus alternis irrui unda maris.
 89 Quam miserum est inter lenones degere vitam !
 90 Numquam non rixas litigiumque pati ?
 91 Eripe, Christe tuam rivalibus eripe sponsam :
 92 si quidquam sancti noster hic ignis habet.
 93 Hippodamia viros armavit rapta bimembres :
 94 Alcidae cordi Deianira fuit.
 95 Uranien solam laedant impune latrones !
 96 Nullus, qui captam vindicet, ultor erit !
 97 Talia plorantem Pistis solatur et Elpis :
 98 quae mihi sunt comites consiliumque duae.
 99 Nunc gemo, nunc oro : jam nictibus astra lacesso !
 100 Aspiciens sudis noctibus ire choros.
 101 Sed paene invideo, propius quos sustulit aether.
 102 O sive Erigone, sive Ariadna forem.
 103 Interdum manuum labor est mihi gratus ad usum :
 104 lanaque, quam pecto, desinit esse rudis.
 105 Ut Laertiadae conjunx fidissima, sumptis
 106 submovit pensis distinuitque procos :

107 sic nendo quoque lasso manus, et pendula duco
108 fila colu ; famulos fallere docta meos.
109 Est mihi trama recens ! In qua sub tegmine Serum
110 ducta laboratis fulget imago notis.
111 Hic ego, nate Deo, vitae mirabilis acta
112 pingo tuae ; prius in pectore picta meo.
113 Expressum temet pretiosa in sindone nosses.
114 Effigiem tetigit, qui videt, inquit, acu.
115 Forma suis distincta locis : variavimus artem.
116 Jam tener in cunis pusio blande jaces.
117 Jam Puer excrescens recubas genitricis in ulnis.
118 Illa tuis pangit basia mille genis.
119 Celsior hic juvenis viridi spectaris in aevo.
120 Ad fontem residens hic geris ora viri :
121 alloquioque tuo sua sentit adultera felix
122 vulnera ; quae numquam senserat ante rea.
123 Tu Samarita pius deforme libidinis ulcus
124 eluis ; et sparsae rore mederis aquae.
125 Ecce, unguenta fluunt, oculorumque uvidus imber :
126 divinosque jacet Magdalis ante pedes.
127 Prodit et e nigro redivivus Lazarus antro.
128 Ad vitam redeunt funera voce tua.
129 Voce tua fiam potius, dulcissime, funus.
130 Ut fruar aspectu, mors mihi munus erit.
131 Virgine nate veni. Tua sum, tua dicar, oportet.
132 Lustrica testis aqua est. Virgine nate veni.
133 Ecquid ago in terris ? Nisi uti miserabilis exul,
134 producam vitae taedia longa meae.
135 Omnes sollicitis numerantur amantibus horae.
136 Dilatis annus creditur esse dies.
137 Justae Ithacum causae quondam terraque marique
138 errantem a thalamo detinere suo.
139 Postquam subvertit fumantia Pergama fundo :
140 qui labor, alterno Marte, decennis erat :
141 quanta per ambages subiit discrimina rerum !
142 Quas tempestates non tulit ille mari !
143 Nulla tuis super est Troja expugnanda lacertis :
144 nullus agit dubiis naufragus error aquis.
145 Vicisti citius longeque potentius hostem.
146 Palmis et spoliis undique cinctus ovas.
147 In praedam cessit tibi debellatus Avernus :
148 Morsque triumphantis sub pede pressa jacet.
149 Cui tamen est superata bono ? Me vivere taedet :
150 nec licet, ut cupiam, te renuente, mori.
151 Incassum tracto telas. Felicior olim
152 prae me Dulichii militis uxor erat.
153 Stamina ne totiens frustra texam atque retexam :
154 sponse, precor, vitae stamina rumpe meae.
155 Si diuturna mora est, meque in maerore relinquis ;
156 nec das adventus praevia signa tui :
157 deseruisse tuos alter diceris Ulysses :
158 altera Penelope dicar amore mori.

RESPONSUM AD URANIAE

E2 v.1 Audis Uranie quaesiti nomen amantis ?
 2 Agnoscis vocem squalida Virgo meam ?
 3 Surge : quid insomnes ducis per taedia noctes ?
 4 Curarum cumulos cur struis ipsa tibi ?
 5 Ignoscenda quidem, sed non contermina vero,
 6 nec consulta satis litera missa mihi est.
 7 Arguis ut lentum, neque te relevare parantem ;
 8 quod me non videas ; nec videare mihi.
 9 Cum tamen interea cogare impune molesta
 10 inter tot famulos jurgia ferre procos.
 11 Me Laertiadae post diruta pergama confers,
 12 divisum spatiis semper abesse procul.
 13 Nolim fabellis sponsam impallescere nostram.
 14 Nonne alios titulos pagina sacra docet ?
 15 Nec tu Penelope, nec ego sum dirus Ulysses.
 16 Nomina quid nobis ista profana citas ?
 17 Sanctius a Christo Christina vocabere : si quod
 18 Aequa mente tulit, tu quoque laeta feras.
 19 Sustinuit tribulos, glaciemque et frigus, et ignem :
 20 incensi ventrem prompta subire bovis.
 21 Numquam sum propior, quam cum me credis abesse.
 22 Me nisi stulta neges forsitan esse Deum.
 23 Illa, illa Italidum longe clarissima Virgo ;
 24 pulcher Senensis flos Catharina soli,
 25 Cum stygiae furerent, et in hanc sua tela phalanges
 26 tentarent variis exonerare modis :
 27 haud Orco cessit, sed contra audentior ivit.
 28 Luctabatur enim vera palaestra fuit.
 29 Infernus larvas, et blandimenta Cupido
 30 noxia, et obscaenas sparserat ore faces.
 31 Ingessitque oculis digna atque indigna relatu.
 32 Eventum quaeris ? Non superata fuit.
 33 Cumque apparuerunt, discussoque ora tumultu
 34 libera, consueto more videnda darem :
 35 ipsa ire in lacrimas, et me miseranda tueri.
 36 Deinde pios gemitus edere : deinde queri.
 37 Dulcis ubi Jesu, me confligente, fuisti ?
 38 Respondi : in media pectoris arce tui.
 39 Hic sedi : non ut spectarem proelia tantum :
 40 sed tibi praestarem Dux animosus opem.
 41 Per me vicisti : mecum victoria parta est.
 42 Nam modo quae victrix, me sine, victa fores.
 43 Certandum est primum. Sequitur post bella triumphus.
 44 Plausus ovans pugnam non venit ante suam.
 45 Pulchrius ornabit crines, quae sanguine rorat
 46 laurus, et armatas ardua palma manus.
 47 Sic adeo insistas. Rigido fortique capistro
 48 lenones sensus perge domare tuos.
 49 Quod bene contuderis perpessos probra repulsae,
 50 subque jugum Dominae jusseris ire, placet,
 51 at tibi servorum diuturna molestia fessae
 52 displicet, et luteae rixa ferenda domus.
 53 Flammiferum sed nempe cupis conscendere currum :
 54 qualis Thesbitae missus ab axe fuit.
 55 Et desiderii liquidum super aethera ferri.
 56 Atque avidam vultu te satiare meo.

57 Sed frustra properas : cum vix a littore puppis
 58 Mota, procellosas haereat inter aquas.
 59 Mobilis humanae vitae confertur imago
 60 velivolae navi. Navigat omnis homo.
 61 Longe portus adhuc. Vastum patet aequor arandum.
 62 Tantisper voti contrahe vela tui.
 63 Multa prius tumido subeunda pericula ponto ;
 64 anchora de prora quam jacienda cava.
 65 Quae pinus Zephyro per caerula fertur amico ;
 66 dicere de cursu, non tamen arte valet.
 67 At trucibus jactata notis et fluctibus atris,
 68 salva gubernantem laudat ab arte manum.
 69 Omnia tempus habent. Gaudendi est atque dolendi :
 70 candidaque alternant atraque Fata vices.
 71 Plangendi tamen his terris est crebrior usus
 72 nempe ita fert genius conditioque loci.
 73 Quae bona disposui potiunda nepotibus Adae,
 74 vestra, gulae vitio, perdidit Eva parens.
 75 Stillabunt aliquando quidem caelestia dona :
 76 sed non continuus nectaris imber erit.
 77 Debetur Patriae laetarum copia rerum.
 78 Nunc es in exilio. Quod satis, exul habes.
 79 Degere te media lacrimarum in valle memento.
 80 Ex alto pluviae semper ad ima fluunt.
 81 Hinc etiam causas plorandi semper habebis.
 82 Tristis ubi vita est ; fletus abesse nequit.
 83 Denique quid facias ? Toleranda adversa recurrent.
 84 Utcumque invertas temet in omne latus :
 85 crux infra et supra, dextram premet atque sinistram.
 86 Evitare nequis : sed superare potes.
 87 Non semper placido Sol purus splendet olympo
 88 splendida nonnumquam lumina nube tegit.
 89 Exoritur tenebris iterum toto aethere pulsus.
 90 Clarior, et rutilas vibrat, ut ante, comas.
 91 Grata superveniet, quae pennis acta citatis.
 92 Unica disjectas auferet hora cruces.
 93 Immortalia ne mortali in corpore speres.
 94 Non bene conveniunt dissociata sibi.
 95 Donec terrenae retinent contagia glebae :
 96 et si rumparis, non potes alta sequi.
 97 Vallaris limo, membrorum pondere pressa.
 98 Alas aptabit nulla columba tibi.
 99 Quam multas credis juvenes optare, quod optas ?
 100 An sola Uranie quantulacumque sapit ?
 101 Quis non der riguo cupiat solacia caelo ?
 102 Mentibus infundo qualia saepe piis.
 103 His tamen, his caruit lustris tribus amplius una.
 104 Aurifluo patrii gurgite lota Tagi.
 105 Atqui nulla mihi dilectior inter Iberas.
 106 Quam mulier fortis, nostra Teresa fuit.
 107 Nosco meos : atque ut fulvum probo in ignibus aurum.
 108 Discitur adversis, an sibi constet amor.
 109 Perfer et obdura, multos spectanda per annos.
 110 Nunc pia, nunc sterilis, nunc quoque tristis eris.
 111 Ex sucus pumex tibi saepe videberis ; ante
 112 a lacrimis veluti spongia visa madens.
 113 Effigiem nostram misisti in sindone pictam :
 114 lanificum magnae scilicet artis opus.

115 Laudo quidem studium tamen, o carissima, mallet
 116 impressam fibris altius esse tuis.
 117 Cor peto, non telam. Cordi inscribatur imago.
 118 Quid mihi cum Phrygibus, Mygdoniaque manu ?
 119 Longe alios poscit quam textos ille colores ;
 120 Morte sua, vitae qui tibi causa fuit.
 121 Pinge : ut sanguineo sparsus sudore rigarim
 122 montis Oliveti Gethsemanique jugum.
 123 Finge : sed infami te propter in arbore fixum.
 124 Exsanguis facies, verior illa mea est.
 125 Commendata, velim, tibi sit Patientia, flores
 126 colligit haec virtus, sanguine pasta meo.
 127 Dignave, quae digitos spinis subducit acutis,
 128 Virgo coronari mollis inersque rosis !
 129 Virtutes inter dici Regina meretur :
 130 utilis ad quaevis extenuanda mala.
 131 Ardens incendit febris ? Patientia morbum
 132 corriget. Haec poterit sola levare sitim.
 133 Amburet carbo famam ? Patientia probrum
 134 diluet, in puram dissoluenda nivem.
 135 Cerberus occurret ? Faciet Patientia mitem.
 136 Prodit et ex saeva tigride gratus odor.
 137 Impugnabit atrox hostis ? Patientia franget
 138 Irarum stimulos : fiat ut ibis apis.
 139 De petra quoque mella fluunt, oleumque, merumque :
 140 duraque mollescunt marmora, flante Deo.
 141 At metuis ; ne te spretam fortasse relinquam ;
 142 et stabili careant haec mea pacta fide :
 143 desine triste queri : non sum tibi causa timoris.
 144 Ne tibi tu fias ipsa timenda, cave !
 145 Quam semel amplector, dilectam desero numquam
 146 foedere ni rupto deserat ipsa prius.
 147 Tu mihi jam totis haeres infixam medullis.
 148 Tam fortunato dic bona verba die.
 149 Quando oras, mecum loqueris : tecumque vicissim.
 150 Quando legis, reputa ; me tibi velle loqui.
 151 Saepius in templis aras invise. Sacerdos
 152 sistere praesentem me tibi quisque potest.
 153 An non sum praesens candenti panis in orbe ?
 154 Angelicum sumis, mystica liba, cibum :
 155 meque simul. Nonne hac nivea sub nube recumbo ?
 156 Abditus, at vere : totus, homoque Deus.
 157 Sacratum puro laticem cum sulcipis ore,
 158 purpureo nostri sanguinis imbre mades.
 159 Et dubitabis adhuc, an sim tibi proximus absens ?
 160 Si modo regnet in hoc pectore casta Fides.
 161 Per quos prospicio cancellos, atque fenestras :
 162 novit, et ad moto detegit ista tubo.
 163 Crede, et vidisti : dicenda beatior inde.
 164 Audiit hoc Thomas erubuitque meus.
 165 Haec summa est : oculis quem non spectabit apertis ;
 166 hunc melius clausis caeca videre potes.

URANIAE CONSOLATIO SEU PARAPHRASIS ILLIUS VERSICULI EX PSALMO 93...

E3 v.1 Vicinus ! Immites venti posuere ; nec ullo
 2 flaminis adversi fluctuat unda metu.

3 Vicimus : et tenebras hilari splendore fugavit.
 4 Quo minime rebar tempore, pura dies.
 5 Aspera fugit hiems. Borealia praelia cessant.
 6 Impulit antennas mollior aura meas.
 7 Ridet aquae facies. Decimo terrentia fluctu
 8 marmora stant placidi languida facta maris.
 9 Expulsae vacuo cesserunt pectore curae.
 10 Anxietas animi, luctus et omnis abest.
 11 O lepor ! O requies ! O sanctae gaudia mentis,
 12 in summo videor Thaboris esse jugo.
 13 O supra solem facies spectata serenum !
 14 Vestis ebur candens vincit et alba nives.
 15 Quis mihi tam subitas affixit Daedalus alas ?
 16 Aut quis Bellerophon subdidit alter equum ?
 17 Me divina vehens rorantes gratia pennas
 18 explicat, et largo perpluit imbre sinum.
 19 Et quasi sublatam volucris tenet ala columbae !
 20 Quae prius invisio pondere pressa fui ;
 21 radit iter liquidum niveis mens candida plumis.
 22 Terra tenet corpus. Mens super astra volat.
 23 Sic certe. Medium video discedere caelum.
 24 Scinditur in partes aetheris aula duas.
 25 Intersum Geniis vastos gyrrantibus orbis.
 26 Ignea pendenti sub pede castra micant.
 27 Fallor ? An ad numerum repetitos audio cantus ?
 28 Quidquid id est, suaves advehit aura sonos.
 29 Crederet hoc quisquam ! Nigrantes posse colores
 30 tam cito deponi, funereamque togam !
 31 Et quasi momento ! Nictu velocius uno !
 32 Quam subito laeta est, quae modo tristis erat !
 33 Vox simul insonuit sponsi, simul ignibus arsi.
 34 Vix tetigit silicem : prodita flamma fuit.
 35 Illa ego prae scopulis rigui quae dura marinis,
 36 cera velut mollis, jam liquefacta fluo.
 37 In promptu lacrimae, confusaque gaudia manant.
 38 Nescio, quae patiar : sed juvat ista pati.
 39 Tandem viva ruunt de scissa flumina petra.
 40 Bis virga pectus percutiente meum.
 41 Irriguum duplex supraque aperitur et infra.
 42 Rideo praefletu, laetitiaeque fleo.
 43 Jam rursus cantare libet, noctesque precando
 44 fallere ; et excubias continuare genu.
 45 Dum votis adeo superos, et colloquor illis :
 46 nescio quis Zephyrus mollis in aure sonat !
 47 At quotiens modulator Nasarenae Virginis hymnum.
 48 Nescio quam dulcis profluit ore favus !
 49 Tot flores videor, quot fundere verba palato.
 50 Quidquid tango manu vel pede, sacra rosa est.
 51 Colligo et ex spinis. Quod pungit, me magis ungit.
 52 Quod cruciat, mulcet : quod dolet, illud amo.
 53 Vivo ego, non ego jam : sed vivit Spiritus in me
 54 illius, aeternum quem mihi junxit Amor.
 55 Ex quo cum spuma fellis gustavit acetum :
 56 desipiunt stomacho dulcia quaeque meo.
 57 Non nisi amara placent ; hyssopus, odorque cicutae :
 58 et si quae in scythicis rupibus herba viret.
 59 Cor patet immensum, totoque capacius Orbe :
 60 Cor dilatatum est, sicut arena maris.

61 Jam votum est immane, pati. Tormenta Neronis :
 62 in caput hoc Phalaris totus, et aetna ruant.
 63 Impetus est, lacero tot corpore vulnera ferre :
 64 quot patiens sponsus sanguinolenta tulit.
 65 Impetus est, recto pugnīs occurrere vultu.
 66 Impetus est lentam sub cruce ferre necem.
 67 Quin animosa tuos itero, Christina, labores ?
 68 Te te ego per flammās densaque tela sequar.
 69 Christinae nos urget amor mirabilis, omnes
 70 instar prodigii nobilis ire vias.
 71 Impetus est, vestire rotas, intrare sepulcra :
 72 irritare truces in mea Fata feras.
 73 Impetus est, raptas ex busto mandere prunas :
 74 tradere vel Brasilis membra cremanda focis.
 75 Impetus est, cum saevit hiems in frigida mitti
 76 flumina, sub curru, Parrhasis Ursa, tuo.
 77 Impetus est, radiis opponi solis, ad Austrum :
 78 ut pascam culicum quemlibet uncta globum.
 79 Impetus est, ferventis aquae sub gurgite nare :
 80 rursus et ad nivium plaustra rigere gelu.
 81 O ego dum fiam vivum tibi. Christe, cadaver :
 82 caesa per innumeras spargier opto neces.
 83 Uranie, gaudes ? Et jam tibi tota videris
 84 in Fortunatis Insula facta locis.
 85 Altior a terris alas te credis habere :
 86 et stellas propius tangere posse manu.
 87 Aurea tela jacis : sed dic : quo dirigis arcum ?
 88 Errabis, si non sit tua meta Deus :
 89 heu ! cave, ceratis ne vana superbia pennis,
 90 Icarias alio nomine signet aquas.
 91 Ausculta : dum te liquidus circumfluit aether :
 92 consilio vallis clara juvare potest.
 93 Aut potius clara famosus valle magister.
 94 Expertus varias noverat ille vices.
 95 Parva mora est, brevis hora : dolor curaeque redibunt.
 96 Inde relicta tibi tota manebis iners.
 97 Ibis in antiquum. Si taedia multa tulisti ;
 98 alternis iterum taedia plura feres.
 99 Interea, siquid sapis, et meliora capessis ;
 100 confer delicias ad pia lucra tuas.
 101 Bernardique memor caelestibus utere donis.
 102 Nam brevis hora fugit, nec mora parva manet.

INFELIX CONIUGIUM SIVE DIALOGUS ANIMAE CUM CORPORE SUO LUCTANTIS IN COEMETERIO.

E4 v.1 Nox erat, et dubiae fulgebant sidera Lunae.
 2 Astrorum tanto clarius agmen erat.
 3 Carpebam placidum, quamvis in stramine, somnum,
 4 lassatos artus presserat alta quies.
 5 Quaque domo jacui, stabat vicina sepulcris.
 6 Contiguas Manes incoluere specus.
 7 Cum subito mihi visa fui sentire tumultum
 8 nescio quem, tenui praetereunte sono.
 9 Protinus excussus languentibus avolat alis
 10 destituens dulci membra quiete sopor.
 11 Dum timide ausculto, sensi increbrescere murmur :

12 quale solet primis motibus esse maris.
 13 Erigor in cubitum melius captura susurros.
 14 Lis erat alternans, rixaque plena minis.
 15 Prorumpo tandem stratis, et pando fenestram :
 16 qua minor occiduam respicit ursa plagam.
 17 Horrebam aspiciens. Consurrexere capilli :
 18 e trepido salsus pectore sudor iit.
 19 Hinc anima ingentem surgens extenderat umbram :
 20 quam longam campis vespera sera jacit.
 21 Instar pyramidis turrita exstabat imago ;
 22 nigra tamen : flammas pectore et ore vomens.
 23 Inde sepulcrali corpus se mole levabat,
 24 funereo vultu, funereoque situ.
 25 Lurida per longum serpebat vipera collum :
 26 vixque cohaerebant ossibus ossa suis.

ANIMA.

27 Spiritus ex clamans prior : huc de forme cadaver ;
 28 huc ades e feretro serve sceleste tuo.
 29 Agnoscisne animam ? Quae te miserata, tot annis
 30 rexit, nutrivit, vivere posse dedit.
 31 Ecce, tui causa, quae jam toleroque, feroque.
 32 Aspice ferales mortis in ore notas.
 33 Excruciant tenebris addictam vermibus et ignis.
 34 Eheu ! perpetuo vermibus et ignis edent.
 35 Sic nimis infelix aliena piacula solvo :
 36 dum dulces furias et tua furta luo.
 37 Quidquid enim indulsi, mihi iudicis urna severi
 38 imputat : aequae tuo crimine plector ego.
 39 Massica quod cupide, me permittente, bibebas ;
 40 nunc fumum et faeces ex Acheronte bibo.
 41 Quod stomacho volucres scythicas donaris et Indas ;
 42 nigra propinatur rana voranda mihi.
 43 Circumflexa latus torquendum cingit echidna.
 44 Me tuus hoc torques gemmeus angue beat.
 45 Molle quod ornabas argento corpus et auro ;
 46 Hoc splendere modo syrmate posse, datur.
 47 Prae Phrygia picta est : quam tu tamen unice amasti.
 48 Aulam Sidonia suetus adire toga.
 49 Aspice, quam radiet ! (Ruptis incendia filis
 50 fluxere : et vestis fulguris instar erat.)

CORPUS.

51 Haud ultra tenuit corpus miserabile vocem.
 52 Perrupit lentas ira dolorque moras.
 53 Intendensque cavos orbis pro lumine adempto,
 54 postquam sarcophagum quassit utraque manu ;
 55 talibus orditur : quid me damnata lacessis ?
 56 Non satis est, solam te meruisse pati ?
 57 Nil jam debentem superis, letique sopore
 58 invida compositum non patiari frui ?
 59 Sed pronum est illi naturae evertere leges :
 60 Numinis aeternas quam violasse scio.

ANIMA.

61 Obstrepat, ut video : quod semper nempe solebas.
 62 Semper enim dura fronte rebellis eras.

CORPUS.

63 Cur non obstreperem ? Manifesta calumnia funus
 64 pulsat, et innocuum post sua Fata premit.
 65 Multa quidem improperas, commisso crimine falsi :

66 quae justa facti lance probanda forent.
 67 Ac nisi te rabies proprii vexaret amoris :
 68 scires, quod nullum culpa aliena gravet.
 69 Tune, mei causa, conficta piacula solvis ?
 70 Tu dulces furias et mea furta luis ?
 71 Vera, pudenda tamen, loquar : (et fateare, necesse est)
 72 ambo Dei tabulas fregimus, ambo rei.
 73 Officiumque suum neuter fecisse probatur.
 74 Sed maculam culpae tu potioris habes.
 75 Mens penes est animam, divisque aequata voluntas.
 76 Illa ratis clavam, summaque jura regit.
 77 Illius ergo fuit, certo moderamine sensus
 78 seu laxare tuos, seu cohibere meos.
 79 Ecquid dissimulas ? An non utriusque ministri.
 80 Quinque mei pariter, quinque fuere tui ?
 81 Ultimus et primus mandatam agnovit herile.
 82 Vix ego, cujus erant, cura secunda fui.
 83 Quid videant oculi, stellam si palpebra condant ?
 84 Jusseris : ac tutum condita stella latet.
 85 Jusseris : admoti rapiunt convivium dentes.
 86 Ni cupias, pascet nulla sagina gulam.
 87 Absque tuo nutu renuit manus ulla moveri.
 88 Pes figet stabilem, te retinente gradum.
 89 Nunc igitur reputa, librato examine : cujus
 90 sit vitium ac virtus, dedecus atque decus.
 91 Peccarunt sensus ? In te peccata redundant.
 92 Respicit auctorem culpa peracta suum.
 93 Cur me, cur sensus famulos peccare sinebas ?
 94 Debuimus freno, sed meliore, regi.

ANIMA.

95 Perfida massa tace. Vitiato semine nata.
 96 Duxisti ex utero jam geniale malum.
 97 Insita te scelerum sparsisse alimenta notavi :
 98 ex quo sum taeda fomitis usta tui.
 99 Saepe gemens dixi : quid falsa ad gaudia tendis ?
 100 Quae caro stabunt triste luenda mihi.
 101 Saepe pavens monui : thyasos atque orgia vita.
 102 Illa nihil sacrae religionis habent.
 103 Omnia fecisti monitis contraria nostris :
 104 per fas atque nefas dum tibi cuncta licent.
 105 Quod vetitum, placuit, tantoque potentius ibas
 106 in vetitum : vetitum quo magis illud erat.
 107 Qualis ubi abruptis properans ad pascua vinculis.
 108 Libera per saltus luxuriatur equa.
 109 Non audit scuticam, sed nec poppysma magistri.
 110 Ad notos sonitus, ut levis aura, fugit.
 111 Talis ad illicitos cypriae meretricis amores
 112 currebas, lapso non revocanda pede.

CORPUS.

113 Non poteras inhibere meos sufflamine cursus ?
 114 Cur tibi libertas imperiumque datum.
 115 Cur tibi supremum numen commisit habenas
 116 corporis, arbitrio supposuitque tuo ?
 117 An non in summa capitis statione sedebas,
 118 Hoc poteras leges, et dare jura throno.
 119 Culpatur puppis, si prora illisa recumbit ;
 120 aut temere liquidum per mare scindit iter.

ANIMA.

175 Ah ! quoties volui silvestribus abdere claustris
 176 indutum sacco, te renuente, caput.
 CORPUS.

177 Non, voluisse, sat est. Virtus laudatur ab actu.
 178 Quam capiet palmam desidiosa manus !
 179 Pauper et ignavus marcet spectator in armis.
 180 Debita post pugnam praemia victor habet.
 ANIMA.

181 Quod dixi, repeto : totius causa ruinae es :
 182 qui surda nostras respuis aure preces :
 183 cum semel invasit venas insana libido ;
 184 nulla retraxerunt verbera, nullus obex.
 185 Per vada, per syrtes, per inhospita saxa ruebas ;
 186 tunc et ego tecum praecipitata fui.
 CORPUS.

187 Frustra haec ingeminas, digna atque indigna relatu.
 188 Vana refert fragili nixa querele fide.
 189 Invitam rapui ! Calva excusatio, calva est ;
 190 nec munita magis. Quam mea calva pilis.
 191 Arguis illecebras. Cur blandimenta secuta es ?
 192 Si velles, certum est, non potuisse sequi.
 193 Quae vis, quis casus, quae sors aut causa coegit.
 194 Ut desiderii obsequerere meis.
 ANIMA.

195 Oblatare paras etiam nunc dente canino ?
 196 Pergis adhuc contra stare, superbe cinis ?
 197 Ut fastum ponas, phalerasque sonantia verba ;
 198 quo miserande jaces, admonet ipse locus.
 199 Cernis in obscura jam te putrescere gleba.
 200 Squalida sub vili cespite membra jacent.
 201 Quid tibi praestiterim, vitali ex lampade nosti :
 202 me sine quid jam sis, post tua Fata vides.
 203 Os hirtum, truncae nares, cava tempora, vertex
 204 depilis, et, verbo ; larva, catharma, lutum.
 205 Cessit ebur formae : cesserunt lumina frontis :
 206 extinctasque gemunt nocte sepulta faces.
 207 Purpureum buxus mutavit flava colorem :
 208 defluxit roseis gratia prima genis.
 209 Quid tibi vibratos myrrha deducere crines,
 210 profuit ? Armillis excoluisse manus ?
 211 Numquid jam cessat Gaetuli pectinis usus ?
 212 An speculo facies redditur una duplex ?
 213 Balsama spirabas prius, et ceroma Sabaeum :
 214 nunc omnes tetro functus odore fugas.
 215 Pro molli thalamo, caecum nunc incolis antrum.
 216 Heres ingratus regnat in arce nepos.
 217 Quas vigili cura, multoque labore parasti
 218 anxius, ereptas possidet alter opes.
 219 Rident ollares plaudendum Fumis amici :
 220 eversoque scypho vina relicta bibunt.
 221 Interea turpes colubri tua viscera rodunt.
 222 Majorem dorsi spina soluta parit.
 223 Pulvis eras : iterum pulvis (velut ante) futurus ;
 224 Natus humo, in veterem rufus abibis humum.
 CORPUS.

225 Corpus ad haec stimulatam, et formidabile cingens,
 226 quos potuit, crudo reddidit ore sonos.
 227 Atque ita cum fremitu : nondum teterrima cessas

228 incestare sitos ? Hic quid Erynnis agis ?
 229 Ut te mille trahant Furiae rapiantque bimembres.
 230 I, quo te justis iudicis ira vocat :
 231 trans styga, trans Erebum, caligantesque recessus
 232 Ditis, in aeternos abripienda rogos.
 ANIMA.
 233 Tu quoque, ne dubita, post saecula pauca traheris.
 234 Haud impune feres iurgia mota mihi.
 235 Parva mora : et tristem mecum rapiere sub Orcum.
 236 Exspectat pullum cincta Megaera suum
 237 utque pati possis, artus animabo resumptos
 238 rursus, et ad poenas te reparabo novas.
 239 Ardebunt oculi, nervis in sulphure vivo
 240 stantibus, et visus quidquid in orbe nitet.
 241 Occurrent Lemures et spectra horrenda per umbras.
 242 Incussura novum plurima monstra metum.
 243 Ardebunt aures : conchyliaque intima tudent
 244 incudis strepitus, tartareique canes.
 245 Chrysolithis geminata novis splendet inauris.
 246 Carbo tuus magnes, carbo smaragdus erit.
 247 Ardebunt patulae nares : fumante mephitum
 248 implebit cerebrum styx Phlegethonque tuum.
 249 Ex pice conflatus crater halabit amomum.
 250 Digna suo mysta tura adolenda fluent.
 251 Alterius casiae seges hic amplissima crescit :
 252 proque croco et nardo foetet opaca palus.
 253 Ardebunt fauces : et amaro felle repletae
 254 gustabunt alias, quam melimella, dapes.
 255 Pro petasone, suas apponet Cerberus offas :
 256 explebunt avidam frusta cruenta, gulam.
 257 Ardebunt teneri, quos aurum vestiit, artus :
 258 Sericaque, et Tyrio vellera pota cado.
 259 Scilicet Oebalio murex ornabit amictu !
 260 Ah ! locus hic solo maestus ab igne rubet.
 261 Totus in accensa nudus fornace jacebis.
 262 Unum constituent omnia membra focum.
 263 Nunc diris devota Caro secede parumper :
 264 inque brevem tumulum mox revocanda redi.
 265 Quae jam nil tentis, faciam sentire, quod instat.
 266 Complebit nostras ultio certa minas.
 267 Vivere perpetuam mortem cogemur uterque :
 268 cogetur vivus semper uterque mori.
 269 Dixit, et in tenues stridens evanuit auras.
 270 Ecce, repentino turbine Terra tremit.
 271 Intonuit dextrum. Surgunt ad praelia venti :
 272 aeraque in gyrum torta procella rotat.
 273 Inque dehiscentem ceciderunt fulmina fossam.
 274 Sub pedibus late mugit omne solum.
 275 Ast ego retraxi caput : occlusaque fenestra,
 276 Christe tuos fugi territus ante pedes.
 277 Et solenne meo statuens cum corpore foedus,
 278 disce modo, dixi, ne patiare. Pati.
 279 Disce modo blandae contemnere commoda vitae.
 280 Ut vita possis nobiliore frui.
 281 Non odium est, sed amor, si nunc tracteris acerbe.
 282 Aeternum ne sim, nunc tuus hostis ero.

CHOREAE MORTUALES: SEU SPONSUS A PERSONATIS SALIIS IPSA NUPTIARUM DIE OCCISUS.

E5 v.1 Quid mihi vobiscum est funesti gaudia mundi ?
 2 Vestra nihil puri vina liquoris habent.
 3 Prima quidem facies nitidi formosa puelli :
 4 cetera tartarei cauda Draconis habet.
 5 Haec ita se crebro, sicut detestor, habere,
 6 nuntia veraci murmure fama refert.
 7 Duxerat insignis Tuscam Braconius Annam
 8 Hectoris Arnulphi factus in urbe gener.
 9 Rivalem Bembum stimulis hoc acribus ussit.
 10 Praemorso ulcisci dedecus ungue parat.
 11 Consilium furiosus Amor, causasque modosque
 12 dictabat : nec non fida, megaera, comes.
 13 Tempus erat, luxu quo Bacchanalia fervent,
 14 et scelerum faeces Orbis in orbe bibit.
 15 Hos statuere dies laeto celebrare thalasso.
 16 His jungenda fuit Fabriabella viro.
 17 Audierat Paulus : coramque sodalibus inquit :
 18 incidet in casses praeda cupita meos.
 19 Narrat et inventum. Salii tantummodo simus.
 20 Seria res fiet, quae fuit ante jocus.
 21 Non opus est ferro : thyasos agitare juvabit
 22 quales in viridi gramine Liber amat.
 23 Unanimes censent foedandum sanguine lectum.
 24 Velabit nostros splendida larva dolos.
 25 Nocte recens suda Veneris jam fulserat astrum.
 26 Dum renovat structas caena parata dapes.
 27 Convivasque monet verbis Hymenaeus amicis.
 28 Ut, regnante rosa, nemo sitire velit.
 29 Personata cohors tectoque incognita vultu
 30 aedibus obscuros imposuere pedes
 31 ad numerum saltant : unaque feruntur in aulam
 32 (tota columnarum marmore nixa fuit)
 33 consurgit sponsus, venientesque obvius hospes
 34 excipit, infausti nescius ipse doli,
 35 mox calices offert, et dulcia Chia Falernis
 36 miscet, et obsequio conciliare studet.
 37 Excepti crispantque manus, et corpora flectunt,
 38 et pars nequitiae nulla relictata suit.
 39 Cymbala mota sonant : digitis, tolisque loquuntur
 40 nutibus. Hic vulpes insidiosa latet
 41 vicini cernunt aptum penetrabile cubilis.
 42 Id quasi lusuri limen adire parant.
 43 Huc invitatur signis Braconius ipse :
 44 et, quia nil metuit suspicione, venit.
 45 Protinus adstrictis, ne vocem emittere possit,
 46 faucibus exspirat. Mors violenta necat.
 47 Induitur vestes alias ; ut concolor ipsis
 48 augeat ignotum nobilis umbra chorum.
 49 Egreditur mimus ; numeroque fit auctior uno.
 50 Qui fuerant octo, prosiliere novem.
 51 Sed nonus fertur multa cervice supinus :
 52 exequias peragat functus ut ipse suas.
 53 Ducitur eliso plaudendum gutture funus.
 54 Ponitur in strato denique pompa solo.
 55 Qui simulant Manes, socii stant undique circum :

56 et gemitus edunt, mascule bubo, tuos.
 57 Orditur primus lenta testudine lessum.
 58 Occipiunt tractu fila sonare gravi.
 59 Ut mortem venisse scias, et adesse scelestis ;
 60 culpa fit in partus ingeniosa novos.
 61 Alto incedentes passu gradiuntur, ut umbrae.
 62 Auditur lento ducta tremore chelys.
 63 Funerariae dant signa fides : gressumque gubernat
 64 aptior ad tristes nenia facta modos.
 65 Prima choreutarum series, et linea : qualem
 66 forte grues formant, vel Galamedis aves :
 67 hibernae niveis cum scribunt aethera pennis,
 68 cernitur aerea litera longa via.
 69 Vix hoc : in mediae secedunt cornua Lunae :
 70 cornua mox complent ; fitque corona chorus.
 71 In dextrum laevumque latus vestigia torquent :
 72 perque novos orbis ante retroque meant.
 73 Nunc oculos sursum. Nunc tendunt ora deorsum :
 74 et manibus caedunt pectora quisque suis.
 75 Inclinantque faces. Sublucet nubila pinus :
 76 ac si de medio funere rapta foret.
 77 Saepe quidem absistunt : sed mox cedentia vertunt
 78 terga. Juvat gyros et variare vices.
 79 Interdum stantes ad inania sibila mussant ;
 80 exiguo sed vix percipienda sono.
 81 Spectator metuit, gaudet tamen. Ipsa voluptas
 82 gratior horrore est, et metuenda placet.
 83 Accedunt propius. Positaque in vertice buxo ;
 84 nunc hoc, nunc illud, mortua membra, levant.
 85 Ter pedis excussu, motisque ad barbata palmis.
 86 Dispergunt supra funus inane nuces.
 87 Ter caput attollunt, iterumque, iterumque reponunt.
 88 Luminaque ad caelum ter retulere sua.
 89 (Saepius ad Manes, propioraque manibus antra :
 90 Inde nefas tantum prodiit, inde dolus)
 91 lege pedem quotiens modulos addente levarunt :
 92 pullavit recidens, stipitis instar, humum.
 93 Roscius (exanimis) laudatur ab omnibus. Eia.
 94 Quam bene defunctum, dixerat unus, agit !
 95 Creditur halantes compressis naribus auras
 96 attrahere, et vitam dissimulare suam.
 97 Postquam est illusum satis omnibus : altaque summo
 98 Cynthia noctivagos aethere flexit equos.
 99 Unus post alium sensim subductus ab aula.
 100 Suspensio tacite, quo pede venit, abit.
 101 Qui jacet, immotus manet. Admirantur id ipsum
 102 convivae. Cur se non movet iste loco !
 103 Exacta quid enim durat dementia ludo ?
 104 Anne domo socios nescit abisse suos ?
 105 Excusant alii. Qui scis ? Fortasse redibunt.
 106 Nondum finita est sabula. Nemo redit.
 107 Ergo succutitur : sed frustra. Vellicat alter,
 108 atque ita : jam satis est. Surgere Luna monet.
 109 Diriguit, nec vena micat ; clamaverat unus.
 110 Tempto manum : leti frigidus horror adest.
 111 Fascia detrahitur capiti ; personaque dempta est.
 112 Detegitur facies livida : sponsus erat.
 113 Lamentis, gemitu, lacrimis, clamore, querelis

114 personuit, veluti turbine rapta, domus.
 115 Facta Venus funus : facta est Libitina Libido :
 116 nomina materiae jam satis aequa suae.
 117 Diffudit Tragicum fallax comoedia syrma.
 118 Credita quae soccus scena, cothurnus erat.
 119 Territa, ut audivit, viditque, quod accidit, Anna ;
 120 semianimis fracto corpore procubuit.
 121 Postera noctivagos Aurora fugaverat ignes :
 122 jamque dies primum vecta tenebat iter.
 123 Deprensa est functo cum sponso sponsa jacere :
 124 viva quidem, sed mox commoritura viro.
 125 Utque vigor membris, et lux est reddita menti :
 126 solvit in hos linguam semirefecta sonos.
 127 Tene meis talem teneo, Francisce, lacertis !
 128 Sic pepigit mortis causa futurus amor !
 129 Tu non quaesitus, sic es, miserande, repertus !
 130 Si tamen inventum sic, reperire vocem.
 131 Perditus es praesens : amissus es, atque teneris.
 132 Altera sum Thisbe, Pyrame caese, tua.
 133 Tolle oculos, vultusque tuos : nos aspice noster.
 134 Ah, neque jam tua sum : tu neque noster eris !
 135 Non potes, ut cupias, suprema audire loquentem :
 136 meque minus flentem, sponse, videre potes.
 137 Una nocte datus, nocte es sublatus eadem.
 138 O vana, o potius gaudia nulla tori.
 139 Pro Pescenninis, et laeto carmine maestum,
 140 omine non fausto, concinuistis aves.
 141 In quibus audita est terris tam flebilis umquam
 142 fabula ? Quis meruit Tereus esse meus ?
 143 Inferias celebros, dum nubo, flammea sumpsi
 144 ad luctum, nullo capta pudore mei.
 145 Crudeles superi, qui permisistis amare ;
 146 crudelis, qui me ludificavit, Hymen !
 147 Fata adversa meis : aversaque sidera retro :
 148 quae mihi fulserunt, laeva fuere nimis.
 149 Hesperus in lucem nequirit durare sequentem :
 150 nec potuit fratri tradere Castor equum.
 151 O taeda infelix, taxo decisa rogali :
 152 eruta de busto, sulphure tincta nigro
 153 plus fumi, quam lucis habes : monstrare sepulchrum
 154 aptior : Alecto qua prius usa suit.
 155 Auspice te sponsus thalamum vitamque reliquit.
 156 Luce tua periit lux oculusque meus.
 157 Instituit tales is nox mihi prima choreas :
 158 cur ego non pariter salto, virumque sequor ?
 159 Ducite me sociae verbennis tempora vinctam.
 160 Altera portandum nobile funus ero.
 161 Me circum latices, et nigri cymbia lactis
 162 fundite. Sum Dido morte futura nova.
 163 Juxta me thymbram, supra me spargite flores,
 164 quales damnatis educat Aetna jugis :
 165 dejecitque sinu scisso Proserpina plorans :
 166 cum fuit a patruo filia rapta proco.
 167 Ibimus in tumulum, juro hoc caput, ibimus una.
 168 Non potes avelli pars quotacumque mei.
 169 Non erit Evadne conjunx Capaneia sola :
 170 fidaque dilecto Laodameia viro.
 171 Confusi cineres una serventur in urna :

172 mixta ferat tellus ossibus ossa tuis.
 173 Corpora non licuit : saltem miserebimus umbras.
 174 Manibus est aliquis sensus amorque piis.
 175 Dixerat. Abstrahitur : sed maesta furensque repugnat.
 176 Incepit Virgo fortior esse viris.
 177 Sed tamen abstrahitur, quamvis invita. Tacere
 178 ipse dolor cogit. Devorat ira malum.
 179 Exin humanos coetus Veneremque perosa,
 180 dicitur in sancta consenuisse casa.

HORTUS GETHSEMANI, REPRÆSENTANS ARMA PASSIONIS CHRISTI...

E6 v.1 Jam spirant Zephyri : jam ver clementior aura
 2 evocat, et tepido molliter ore fovet.
 3 Eia, tui formosa veni Sulamitis in hortum
 4 dilecti, passu quam properante potes.
 5 Et te plantavit, cujus viridaria cernes.
 6 Illius Uranie, tu quoque Virgo rosa es.
 7 Tam varios flores Tellus non protulit ulla,
 8 quam quos Gethsemani villa beata parit.
 9 Utilibus succis, multumque potentibus herbis.
 10 Hic atque hinc sparsis area tota viret.
 11 Nomina sunt peregrina quoque : et fragrantia mira est
 12 ante Palaestinae non bene nota plagae.
 13 Letales plagas, animae quoque vulnera curant :
 14 quae curare ramen balsama nulla valent.
 15 Huc igitur nitidis pedibus secede parumper.
 16 Omnia saepta patent. Huc Sulamitis ades.
 17 Nusquam alibi crescit niveo Veronica peplo
 18 altior. Haec facies picta cruore suo est.
 19 Quale genus plantae ! Pugnax similisque minanti
 20 exhibet armatam dactylothea manum.
 21 Concolor est ferro, munitaque cortice duro.
 22 At quales fructus hispida planta feret ?
 23 Ficus, an colaphos ? Incussa repente sonoro
 24 militis insani verbere mala crepat.
 25 Triginta calathos argentea Chloris in orbem
 26 circinat. Aspectos esse numisma putes :
 27 sunt quoque. Tantillo pretio mercabilis aether !
 28 Hoc Patris aeterni Filius aere stetit !
 29 Nonne vides piceae fomam referentia taedae.
 30 Instar laternae germina nocte micant.
 31 Aspicias et virides laqueos : ut in ilice lentae
 32 proserpunt hederæ, consociantque manus !
 33 Sunt scelerum funes. Quos Samson debuit ille
 34 rumpere, qui funes rupit, Adame, tuos.
 35 Annulus undantis buxi numerosus, et in se
 36 tortilis, hac serie cetera membra ligat.
 37 Nempe catenarum pondus per compita tractum
 38 exprimit, atque humeri deficientis onus.
 39 Quae cervix oneri subsidit, sidera portat.
 40 Te simul Atlantem, rex scelerate, tulit.
 41 Talia ni pro te gestasset vincula sponsus :
 42 tristis adhuc hodie compede vincta fores.
 43 Progredimur. Late vernans se purpura fundit :
 44 qualem Sidonii vix dabit unda maris.

45 Sed sparsas passim guttas mons plenus olivis.
 46 Sanguine sudato terra rigata bibit.
 47 Nympha, quid hoc ? Subeunt autumni tempora nondum :
 48 et matura premi jam tamen uva rubet.
 49 Ante diem pleno lacrimatur palmite Vitis.
 50 Jam quoque torcular calce premenda petit.
 51 Quamvis hoc unus solus calcasse feratur.
 52 Gentibus e cunctis assecla nullus erat.
 53 Quid dico ? Calcasse : ipse est calcatus, ut uva.
 54 Trita feris pedibus nobilis uva fuit.
 55 Unde et divinum fluxit de corpore mustum :
 56 Ebriaque implevit sanguine vasa suo.
 57 Defendunt alias vites promissa flagella.
 58 Ne cadat in terram pampinus, illa juvant.
 59 Sed nocuere tibi, vitis verissima Christe.
 60 Exhaustere Cypri multa flagella botrum.
 61 Pulchra columnarum series ! Tamen una recenti
 62 (nec virgulta procul) tota cruore madet.
 63 Aspice liliolum : quod longa et candida vestis
 64 signat. Sed fugiens est fatuusque color.
 65 Et tamen, ut perhibent, donum regale superba
 66 ex aula missum Rex Galilaeus erat.
 67 Vepribus intextam video fulgere coronam.
 68 Heu mihi, quas gemmas ista corona gerit !
 69 Contemplare rosas vultu meliore nitentes.
 70 Laetior et reliquis gratior una patet.
 71 Sed nimis horrendis ac multis obsita spinis.
 72 Ah ! nimium veris sentibus ista Rosa est.
 73 Parte alia hyssopum repentem cernere fas est.
 74 Parte alia, Myrrhae crescit amara seges
 75 spongia quam juxta calamis fruticantibus exit :
 76 Scilicet haec Domino praebuit apta merum.
 77 Haec exspectata est tot saeculis illa labrusca :
 78 quam Judaea tulit vinea, cultus ager.
 79 Vineae pro Sodomae, pro vino fudit acetum.
 80 Noxia porrectus spina racemus erat.
 81 Uvae adeo fellis, permisto felle draconum.
 82 Non puduit sacram te violare sitim !
 83 Hoc etiam rabidum virus dulcescere fecit,
 84 omnia qui flammis excoquit almus Amor.
 85 Mitis in apricis coquitur vindemia saxis :
 86 expertus vero Vinitor ore docet.
 87 An non corda truces gestarunt saxea verpi ?
 88 An gens in terris durior ulla fuit ?
 89 Attollit sublime caput regalis arundo.
 90 Suspice sidereo debita sceptrum duci.
 91 Messias promissus adest ex sanguine regum.
 92 In manibus Cannam, quam moderetur, habet.
 93 En etiam clavi florent defixus eandem
 94 malleus et gladius mordet et auris humum.
 95 Plurima missilibus junctis hastilia surgunt.
 96 Omnibus ex hastis eminet una magis.
 97 Nescio Longini possis, an dicere longi
 98 mucronis. Tetigit cuspis adacta latus.
 99 Sanguine conspersa est et aqua. Color ornat uterque
 100 o decor ; o miri gratus amoris odor !
 101 Exprimit humani dignos qui corporis artus,
 102 En, duplicem tunicam flos generosus habet.

103 Una quidem divisa jacet. Tamen altera vernat.
 104 Integra, per nexus conspicienda suos.
 105 O quam vivaces oculos tria germina monstrant !
 106 Ludica non alios alea Martis habet.
 107 Haec Domini super ora tui, vitamque, togamque.
 108 Et reliquas vestes alea jacta fuit.
 109 Occupat in medio spatium pulcherrima malus :
 110 densa comas, ramis pondera fulva gerens.
 111 Sed quamquam fructus arbor promittit opimos :
 112 cur trepido ? Quotiens, Virgo, videtur, ait.
 113 Percellor. Mentem nec delectatio tangit.
 114 Labitur ex oculis humida gutta meis.
 115 Quod plus est, injussa cadit : nec sistitur imber.
 116 Nescio, quae mentem terret imago meam.
 117 Fallor ? An in summo virgata cacumine serpens
 118 sibilat, et pomum prodigiale tenet
 119 ille est, ille Evam ! pro Fata ! sub arbore mali
 120 corrupta est genetrix succubuitque mea.
 121 Hinc illae Lacrimae. Coluber discede maligne.
 122 Non hic thesaurus, quem tuearis, adest.
 123 Hesperidum regnare Draco praesumat in hortis.
 124 Sit locus excubiis debitus ille tuis.
 125 Hunc Agnus servat custos ab origine mundi
 126 occisus : per quem casus et ipse perit.
 127 His stygium dictis audacius ibat in anguem.
 128 Aliger exclamat : siste profana gradum.
 129 Uranie, quid agis ? Perges decepta doloso
 130 plus quam serpenti femina plura loqui ?
 131 Nescis, quae primae mendacia dixerit olim ?
 132 In duplicis linguae cuspide virus habet.
 133 Consita Palma prope est hujus festina sub umbrae
 134 frondentes latebras, tutaque lustra fuge.
 135 In crucis extendit formam duo brachia truncus.
 136 Hoc lignum vitae sit medicina tua.
 137 Es scala. Pete nixa gradus, apprendere fructus
 138 et gustare licet. Scande puella crucem.
 139 Salve omnes inter silvas spectabilis arbor.
 140 Salve delictum, crux pretiosa, meum.
 141 Sis licet ex quercu vel duro robore facta ;
 142 nil aequale Cedrus nil Cyparissus habet.
 143 Dilecto tu sola suam conjungere sponsam ;
 144 dilectae sponsum tu sociare potes.
 145 Hac ego suspendar veri rea criminis : insons
 146 illa parte meus pendeat alter ego.
 147 Neve per errores incertaque vota vagetur ;
 148 haereat in clavis mens mea fixa tuis.
 149 Est mihi, sitque, precor, flos granadillus in imo
 150 pectore caelatus, virgineoque sinu.
 151 Omnia qui referat, quaecumque hic germina vidi.
 152 Auferet ex memori marmore nulla dies.
 153 Narcissi, casiaeque fragrant, et amomus, et Iris.
 154 Et Daphne, et myrtus, chaltaque cum violis :
 155 et thymbra, et bellis, nardusque, anemonque thymusque :
 156 Gethsemani villa est nobilitate prior.
 157 Non ego praetulerim Paestana rosaria, nec quod
 158 Phaeaces jactant, Alcinoique nemus.
 159 Hoc tantum stupeo : quod ab hujus nulla volucris
 160 eximia trahitur commoditate loci

161 nec Philomela gemit, nec caelum mulcet alauda.
 162 Obsecro, quae causa est ? Omnia muta silent.
 163 Angelus excipiens : non est hic penniger oscen
 164 ad modulos factus, nec Paradisus, ait.
 165 Elysios quid enim fingis tibi credula campos ?
 166 Regnat in his saeptis unica, Gallus, avis.
 167 Ille autem quotiens emittit gutture vocum :
 168 flent silices : lacrimis saucia Petra madet.
 169 Admonitor Petri, peccantis lumina fletu
 170 impulit. Impellat sic quoque, Virgo tua.
 171 Aestuat Uranie ; sanctoque incensa dolore,
 172 ex oculis calidas dum jaculatur aquas :
 173 perge meos, inquit, vigil ales rumpere somnos :
 174 occentare mihi crimina perge mea.
 175 Omnes lusciniās vinces dulcedine cantus.
 176 Tu mihi prae cunctis Daulias ales eris.

PLANCTUS VIRGINEAE MATRIS SUPER UNIGENITUM.

E7 v.1 O qui transitis, luctus expendite nostros.
 2 Si dolor est ullus par, similisque meo.
 3 Vos vigiles flammās et conscia sidera testor,
 4 quae vidi medio maesta fuisse die.
 5 Dicite, tam miseram si vestra ab origine prima
 6 spectastis Matrem ! (cetera fletus erant)
 7 Dicite, si quidquam vidistis acerbius usquam
 8 sive subitis aquas : sive reditis aquis.
 9 Dicite tam salsum quando supereffluat aequor,
 10 quam salsum est oculis aequor utrinque meis.
 11 O ego jam potius Mara, quam dicenda Maria
 12 nomine fortunae conveniente meae.
 13 O Simeon ! Simeon ! Capulo tenuis ensis abivit
 14 in cor ; adhuc totus pectore mucro sedet.
 15 Quales aspicio plagas ? Quae vulnera cerno ?
 16 Non hominum manibus ; vomere facta putes.
 17 Uno tam latos in corpore, praeter Amorem
 18 qui possit sulcos ducere, nullus erit !
 19 Nimirum voluit ? Sed quis voluisse coegit,
 20 Tu nisi qui poteras cogere, solus amor !
 21 Parcere debueras. Uno duo tangimur arcu !
 22 Heu tua, si nescis, et mihi tela nocent.
 23 Saucia sunt aequae jaculo mea viscera. Totam
 24 me superadde ; volens, dummodo juncta, cadam,
 25 equid in hunc uterum caelo descendis ab alto,
 26 dum felix patrio Rex colerere sinu ;
 27 ex me, sola tuae sumpta est injuria caedis.
 28 Quodque mori potuit, quid, nisi matris erat ?
 29 Saevitiae fecunda fui, peperique tyrannis
 30 membra per Ausonias dilanianda feras ?
 31 Sed neque propterea duos accuso Quirites.
 32 Saeva nec externi militis arma queror.
 33 Hoc fratres fecere tui, suxisse videri
 34 ubera quae Sarae, Saraidumque volunt.
 35 Ad Patrem, o fili, talem te terra remittit ?
 36 Has caelo grates perfidus Orbis habet ?
 37 Nulla parens sobolem genuit felicius umquam,

38 at neque deterius perdidit ulla parens.
 39 Quem Virgo peperit, Mater miseranda relinquo !
 40 O quam alium hoc meministi te recubasse sinu !

SUSPIRIUM AD SEPULCHRUM DOMINI N.I.L.

E8 v.1 O mihi prae caelo facies dilecta sepulchri.
 2 Quo nihil in terris sanctius orbis habet.
 3 Salve ingens saxum, Pario sublimius : in quo
 4 functorum nemo conditus ante fuit :
 5 Quippe novum prorsus, quod nulla cadaveris umbra
 6 ulla nec afflatu mors violasset, eras.
 7 Virginei certe verissima ventris imago.
 8 Gessisti Virgo, quod pia Virgo tulit.
 9 Semper victurum fudisti pignus in auras.
 10 Quod mortale prius fuderat alma parens.
 11 Fortunata lapis, magnete potentior ipso.
 12 Ad te terrigenum ferrea corda trahens.
 13 Nulla tuum dignis pretium virtutibus aequat ;
 14 quantumvis Indi splendida gemma maris.
 15 Sidereus tecum collatus hebescit Iaspis.
 16 Nec te beryllus, nec superabit onyx.
 17 Te coram simplex amethysti purpura languet.
 18 Perdit chrysolithi lucida flamma jubar.
 19 Mortuus ut cuperem sub te post fata jacere !
 20 Te juxta saltem, si paterere, mori !
 21 Flectere tumba precor. Nativum pone rigorem.
 22 Mollior a primo funere facta silex !
 23 Quaeque tot hausisti libras unctissima myrrhae.
 24 Has etiam lacrimas, quas tibi fundo, bibe,
 25 gutta cavat lapidem si tandem saepe cadendo,
 26 decidet ex oculis saepius illa meis.

S. PETRUS LAPSUM SUUM DEFLENS IN IMAGINE EXPRESSUS.

E9 v.1 Ede : quid hoc hominis ? Petri, respondet imago.
 2 Paenituit ! Motus hos Metanoëa ciet.
 3 Jam tandem loquitur ; linguamque in verba resolvit,
 4 intercisa tamen. Lacrima truncat opus.
 5 Te Dominum talem, talemque negasse magistrum !
 6 Deseruisse fuga ? Dissimulasse metu ?
 7 Atqui jurabas, te nolle relinquere (quae me
 8 Belua, quae refluo sorbeat unda freto !)
 9 Tu semper primus dare verba sonantia, praecipis
 10 ingenio, zelo fervidus, ore ferox
 11 sed pedibus, cervo, capreisque fugacior ipsis.
 12 (In scrobe cum talpis abdere laese pudor !)
 13 Heu pudeat ! pedibus Dominus quos laverat ante.
 14 Cernuus, in turpem praecipitare fugam.
 15 Laverat ! ah famulos plus quam demissus in usus !
 16 Et, ne tunc fugerem, strinxit utraque manu.
 17 Osculaque impressit plus quam divina ; vel ista
 18 sistere debuerant, cum raperere, pedes.
 19 Nunc, quid lingua siles ! Ubi vanae sibilus aurae

20 defendetis herum mille per arma suum ?
 21 Ut dominum fateare tuum, fiducia muta est,
 22 ut novisse neges, plus satis oris habes.
 23 Scilicet auriculam tanti est abscindere servo ?
 24 Hoc totum de te nempe magister habet ?
 25 Et promittendo violas ; violasque negando
 26 quid superast Petri ? Cui tua vota bono ?
 27 Tu leo praefidens ; tu formidabilis ille,
 28 sterneris a primo, quem bibis aure, sono.
 29 O bene quod surgens Galli pugnacis, eodem,
 30 quo [solo] tumuit, crista, canente, cadit.
 31 Frigidus ante focum. Si vis redeamus ad ignem.
 32 Certius ut vires experiare tuas
 33 sed melius sapere est, et non ad bella redire.
 34 Quae nimis imbellem sunt habitura ducem.
 35 Mollis, inersque virum prostravit femina voce.
 36 Quid facerent flagris, verberibusque viri ?
 37 Quae jurans, iterata quidem mendacia dixi,
 38 et merito, et numero sunt pretiosa nimis.
 39 Turpius ut ruerem, latronum castra secutus
 40 suspendi, gressu sed titubante fugam.
 41 Devoveo Cayphae dira ostia, et atria diris,
 42 evertant totam fulmina jacta domum !
 43 Perfide ; quid Caipham damnas, alienaque carpis
 44 crimina ? Tu misso fulmine dignus eras.
 45 Intonet a ventis concussus, et irruat aether
 46 os hoc sacrilegum flamma trisulca petat.
 47 In me lictores, in me vibrare securim ;
 48 in me omnes funes, omnia tela ruant !
 49 Certum est, innocuum caput esse, quod ante negavi.
 50 Quod loquitur, certum est, hoc caput esse nocens.
 51 Flete oculi ; flendum est ; totos expellite nimbos :
 52 in mare praeruptum lumina versa fluant
 53 accipite hunc profugum saltus, noctesque profundae ;
 54 si tamen est saltus, noxque profunda satis.
 55 Sint latebrae quantae, et quales ! abscondere crimen
 56 jam nox nulla meum, nulla latebra potest.

LACRIMAE PAENITENTIS ANIMAE.

E10 v.1 Ergo erat in fati maerore liquescere nostris.
 2 Ut fierem flumen, quae modo marmor eram.
 3 Quando ita fata volunt, fati mergamur in ipsis :
 4 inque suis lacrimis omnia membra natent.
 5 Sic ubi septenos Niobe Sipyleia natos,
 6 et totidem natas perdidit orba parens :
 7 flevit, et in rigidam conversa dolore figuram
 8 sudavit, quamvis femina, facta silex.
 9 Atqui majores flendi circumfero causas.
 10 Ridendi certe nulla relictis mihi est.
 11 Latonam sprevit Thebarum regia conjunx
 12 et Latonigenas numina vana, duos ;
 13 immortale cinis potui contemnere Numen !
 14 Illusi vero stulta puella deo !
 15 Currite pallentes lacrimarum currite vivi,
 16 donec deficiam luctibus ipsa meis.

17 Et fateor, fecique nefas ; quod, ut audiat Orbis
 18 impius, atque pius, devoveatque precor,
 19 tempore quo parvos infans Deus induit artus
 20 (tristis et incipiens bruma, December erat.
 21 Ante fores memini (pudet ah ! pudet acta referre)
 22 ante fares jacuit Virgine natus Amor.
 23 Hibernis nivibus tellus squalebat et aether :
 24 insonuere suis flabra Borea tubis.
 25 Edere visus erat gemitus prae frigore : visus
 26 ad surdos postes illacrimare Puer.
 27 Ter pharetra, teneraque manu, ter cuspide portam
 28 impulit ; admitti voce tremente rogans.
 29 Uranie jacuit cycneo languida lecto :
 30 nec dignata suas est aperire fores.
 31 Ah, quotiens aliis diversi partibus anni,
 32 exceptus rediit non meliore modo.
 33 Cum vidi a longe venientem, et adire parantem ;
 34 reticulo mansi dissimulata meo.
 35 Saepe, Soror, pulsans aperi carissima fratri
 36 dixerat. Admissus plurima dona feram.
 37 In calatho lectos flores et aromata porto :
 38 qualia nec Solymis intulit orta Saba.
 39 Cincinnique mei nocturnis undique guttis,
 40 et matutino tempora rore madent.
 41 Risimus ex alto. Quamvis descendere pronum.
 42 Atque movere seram vix labor ullus erat.
 43 Ausa fui tacite cum sanna adducere valvas.
 44 Sic mansit cordis janua clausa mei.
 45 Qualis Anaxarete fastu despexerat Iphin,
 46 Virgo nimis formae laude superba suae.
 47 Cum tamen ante domum laqueo pendere videret
 48 improba, non meritum talia certa procum.
 49 Durior Uranie molto crudelius ista,
 50 lusit amatorem destituitque suum.
 51 Obrigit faxo per totum corpus oborto
 52 Cypria. O ut potius solverer instar aquae !
 53 Lumina confusos manantia trudite nimbos.
 54 In geminos fontes ubera bina fluant.
 55 Exundet facies, velut ingens campus aquarum :
 56 ut possit remis aequoris instar agi.
 57 Quot sunt in manibus digiti pedibusque ; tot amnes
 58 fluminaque in valles praecipitata ruant.
 59 Frons patear scatebris labentibus, oraque fiant
 60 ostia : septemplex qualia Nilus habet.
 61 Quid Cyane collata mihi ? Quid caerulea Byblis ?
 62 Byblis Apollinei fratris amore nocens.
 63 Haud tamen Urania peccante nocentior illa est
 64 Nympha, vel in siculo repperienda mari.
 65 Sicelides Nymphae timidis accedite votis ;
 66 me comitem secum quaeque natate sinat.
 67 Altera jungar vestris Arethusa choreis :
 68 quas agitis liquido per freta salsa pede.
 69 Altera non verear fundo Galatea renasci,
 70 plangere tam constans Acin amata suum.
 71 Plangendus semper, quem dira caede peremit
 72 Judaeus Cyclops ; hic meus Acis erit.
 73 Denique nec fieri, nec dici scylla recuso ;
 74 latrantes inter non bene tuta canes !

75 Pandite terribiles laceranda in viscera rictus !
 76 Et praeda dentes exsatiare nova.
 77 Dummodo tabescens membratim muter in undas :
 78 inter Naiades quaelibet esse velim.
 79 Ite pii fontes. Madidis caput omne capillis
 80 fluctuet : ut fiam Nereis ; ante Dryas.
 81 Sentio ! Nunc oculi fletis ! Tunc flere decebat :
 82 cum pleno hausistis blanda venena sinu.
 83 Ut fragilis formae foedos sectarer amores :
 84 et biberem faeces Cypris amara tuas.
 85 Cum tamen interea, calcata lampade sponsi,
 86 a me caelestis pulsus abiret Amor.
 87 O ergo madidas effundere pergite habenas.
 88 In pluvias utinam tota resolver aquas.
 89 Nec satis est vitro similem plorare liquorem.
 90 Concolor huic fiat, quem coquit igne Tyrus.
 91 Sanguineas calidae lacrimas expellite venae.
 92 Inficiat torrens lumina nostra cruor.
 93 Fundite sanguineos, mea lumina fundite rivos !
 94 Sanguine quae steterat, sanguine culpa natet !

LESSUS QUINQUE FATUARUM VIRGINUM. MATTHAEI C. 26.

E11 v.1 Eheu quis fando tam lamentabile fatum
 2 explicet ? Ignorat nostra querela modum !
 3 Innuptae fuimus quondam bis quinque sorores ;
 4 una Matre satae, nobilitate pari.
 5 Rex celebraturus thalamos, festumque jugale
 6 optabat comites Virginis esse suae.
 7 Lampade, non taedis instructas ire volebat.
 8 Istud praecipui munus honoris erat.
 9 Interea pigras somnus diffuderat alas ;
 10 nos illapsa quies, et sopor altus habet.
 11 Sponsus adest : cantatur hymen, fit in aethere clamo
 12 Cynthia nocturnos dum regit alta boves.
 13 Excutimur somno, stratisque cubilibus omnes ;
 14 dispare fortuna, sed neque fine pari.
 15 En resupinato discedit cardine caelum !
 16 Omnibus ingressum praebet eburna domus.
 17 Pars sapiens, quotquot lucebant, obvia pompae,
 18 intromissa fuit protinus, absque mora.
 19 Serius ex olei defectu, solis ad ortum
 20 venimus ; oclusas conspicimusque fores.
 21 Audimus citharas, intus plaudente chorea,
 22 laetitiae signis omnia tecta fremunt.
 23 Pulsamus portas : aperi, Paranymphe, rogamus.
 24 Nos quoque consortes et tua turba sumus.
 25 Nescio vos : trepidas vox reddita fertur ad aures.
 26 Vox quovis tonitru saevior, atque freto :
 27 quod, simul in fluctus ventis discordibus actum est,
 28 spumat, et illiso murmurat unda salo.
 29 Quin etiam ad limen stantes exesse jubemur.
 30 Accedunt risus, opprobriisque minae.
 31 Siccine, conquerimur, caelesti excludimur aula !
 32 Sic procul a sponsi cogimur ire toro !
 33 Tristitia invadit, mistoque insania luctu.

34 Occupat ora rubor : pectora maesta dolor.
 35 Vultibus aversis discedimus atque caducis.
 36 Nescio vos, misero corda pavore quatit.
 37 Hem ! Fatuae nos quinque sumus. (Miserabile probrum)
 38 Tales nos vulgus monstrat utraque manu :
 39 plurima post tergum crepitante ciconia rostro,
 40 (Quis numeret sannas, salsaque dicta ?) Volat.
 41 Et merito. Nam supplicium deforme meremur.
 42 Stultitiae poenas jam sine fine damus.
 43 Quem capite obtuso gerimus, pendentia magno
 44 cymbala cum sonitu bardocucullus habet.
 45 Heu ! fatuae. Semper nocuit differre paratis.
 46 O mora consiliis noxia saepe bonis !
 47 Frustra Parthenii miserae jactamus honorem
 48 nominis, et castum, nescio quale, Decus.
 49 Virtutum pinguis, morumque operumque medulla
 50 defuit, et manans e pietate liquor.
 51 O fatuae ! quarum gemmata, vel aurea lampas,
 52 argentove micans, maxima cura fuit.
 53 Nulla sed ut lychnis, oleoque instructa niteret.
 54 Regis in adventum, sollicitudo fuit.
 55 Scilicet ut pupam dilectam amplectitur infans,
 56 oblita quam vili murice ralla tegit.
 57 Hanc amat, inque sinu gestat, datque oscula larvae :
 58 et tamen haec anima stramine farta caret.
 59 O fatuae ! quibus est in nocte extincta lucerna :
 60 Spargere debuerat quae saturata diem.
 61 Prudentes cum jam turgentia vasa replissent :
 62 in vasis fatuae nil habuere suis.
 63 An non haec fatua est, quae lampade gaudet inani ?
 64 Cujus iners vacuum nulla Minerva fovet.
 65 Ignavae sacras lusu produximus horas :
 66 nunc instaurandis hora nec una datur.
 67 Emimus armillas, et picta crepundia colli ;
 68 tempore quo viridis debuit humor emi.
 69 Legimus ungue rosas, et poma gravantia ramos :
 70 Quando legenda manu caerula bacca fuit.
 71 Unximus ad speculum faciem ceromate pictam.
 72 Quando strui lychnos utile tempus erat.
 73 Intramus silvas saltusque ac lustra Dianae.
 74 Cum potius Pallas tunc adeunda foret.
 75 Illius arbor erat glauci quaerenda coloris.
 76 Quid praeter glandes Chaonis arbor alit ?
 77 Heu fatuae ! Nam quid mala dissimulamus aperta ?
 78 Prostamus mundo fabula. Vera sumus.
 79 Quam facili, donec large fluxere trapeta,
 80 venisset pretio nobilis ille liquor.
 81 Jam nec olivarum gustus conceditur ultra.
 82 Vel tenuem guttam sicca taberna negat.
 83 Plorandum est. Sed quo sterilis jam lacrima currat ?
 84 Nil profecturis ora rigantur aquis.
 85 Fundimus, ah ! vanas in cribrum Belides undas :
 86 nos illae ex Danai stirpe nocente nurus.
 87 Non, licet in gemitus praecordia disrumpamus ;
 88 Oceanus nostris fletibus auctus eat ;
 89 exorare Deum liceat. Numquam ostia pandet.
 90 Ferreus est. Flecti janua clausa negat.
 91 Desperata salus. Decretum immobile durat.

92 Nec prece, nec pretio cardo movendus erit.
 93 Pessulus obductus retrahi nequit artibus ullis.
 94 Firmatae solido stant adamante fores.
 95 Heu fatuae ! Quid enim miseris nisi vota supersunt ?
 96 In barathrum praeceps, eia, dehisce solum.
 97 Hoc, oleum atque operam est aeterno perdere damno,
 98 nemo, licet vellet, quod reparare potest.

PRETIUM LACRIMARUM.

E12 v.1 Quid Cleopatra tuis stillant carchesia gemmis ?
 2 Quid furit in Bacchum tam pretiosa sitis ?
 3 Qui liquor ex oculis stillat, quod flere vocamus :
 4 ille liquor praestans, ille meretur emi.
 5 Sume novo centum ferventia dolia musto :
 6 altera millenis si placet, adde cadis.
 7 Parva, Mosellanis pretiosior omnibus urnis,
 8 dum teneat lacrimas, unica pyxis erit.
 9 O si homines scirent, habeat quas lacrima vires :
 10 non ita ceu vilis projiceretur aqua.
 11 Qualem plebeii ripis communibus amnes,
 12 majorem in fluvium non sine faece vehunt.
 13 Turbida contriti sincero expressa dolore
 14 cordis aqua, est nectar : quod Deus ipse bibit ;
 15 tamque avide : ut sumptam ponat velut ebrius iram
 16 nescius in manibus fulmen habere suis.
 17 Noxarum oblitus, modo quos punire volebat,
 18 basiat, et summo ducit habere loco.
 19 Haec philti vis est : lacrimarum hoc potio praestat.
 20 Est aliquid, validum sternere posse Deum.
 21 Talis erat. Petrus grati pincerna liquoris :
 22 grata, rigans madido Magalis ore pedes.
 23 O Monica, o Fili longis erroribus acte :
 24 o Dolor afflictae bisque parentis onus !
 25 Vos equidem nostis lacrimis grave pondus inesse.
 26 Fluxerat ex isto vestra liquore salus.
 27 Tu tamen ante alios Rex decantate sciebas,
 28 pacifici genitor qui Salomonis eras.
 29 Undabat lacrimis lectus : caput, ora, genaeque.
 30 Largius, humano tincta cruore manus.
 31 Ah ! idem sitiens lacrimas, ceu vina bibisti :
 32 inque tua mensa lacrima panis erat.
 33 Quo fructu ? Uriae sanguis clamare profusus
 34 desiit. Obscoenum diluit unda torum.
 35 Cessit flagitii squalor : purgatus adulter
 36 ad solitas epulas, sed sine labe, redit.
 37 Ecce, repente novo mutantur membra colore.
 38 Quae fuit atra cutis, candida facta nitet.
 39 Carbo dealbatur supra nivis alba jacentis
 40 vellera per scythiam, trans scythiaeque plagam.
 41 Caecuba non poterant ablatam reddere formam :
 42 fortia non qualis pocula cumque meri.
 43 Non habet has vires sucus de palmite manans ;
 44 nec de flante rosa, Coryciove croco.
 45 Heu ! super indignas clades tam nobilis humor
 46 spargitur : et luctu deficiente perit !
 47 Mercari poterat, si sparsus in astra fuisset,

48 aeternas, geminus qua patet axis, opes.
 49 Tartareas poterat penitus restinguere flammās.
 50 Deleret stygios unica gutta rogos
 51 quid facitis, clamo, mortales ? Natio vestri
 52 prodiga thesauri, stultitiaeque tenax.
 53 Excutitur manibus glacies : mox lumine rupto,
 54 instar torrentis flumina salsa cadunt.
 55 Eripitur caelum : risu jactura levatur.
 56 Stat siccus pumex, nec sua fata gemit.
 57 O pueri, numquid pro fractis dicite, vitris
 58 est oculi gemmas dilapidare, furor !
 59 Scilicet erepto ploratis simplice pomo :
 60 mensibus autumnī qualia multa jacent.
 61 Et non ploratis subduci, qualia fulvi
 62 corticis Hippomenes, aurea mala, tulit !
 63 Cum calices crebri poscuntur, maxima cura est ;
 64 ne cadat in terram stilla vel una meri.
 65 At lacrimas nihil est functo donare catello.
 66 Nullus egestatis (copia tanta) metus.
 67 Ipsa pavimenti facies hoc imbre rigatur.
 68 Ipsa supervacuis fletibus antra natant.
 69 Horrida luxuries, flendique insana libido.
 70 Orgia stultorum dicere jure queas.
 71 Jamque adeo cellas oculorum et pectoris omnes.
 72 Turgentesque sinus evacuare juvat.
 73 Lumina deficiunt totis exhausta diebus.
 74 Pene nihil superat : venaque inanis eget.
 75 Nullis vel levibus causis producere fletum
 76 plebs amat. Est ingens hujus abusus aquae.
 77 Ac si foetentis fundo desumpta lacunae,
 78 et non ex imo corde profecta foret.
 79 Quantis impensis, vitali in fonte, coquenda est !
 80 Igne laborari nobiliore nequit.
 81 Et tamen hoc sumptu, tanto sudore parata
 82 funditur incassum : proque triente datur.
 83 Infans natus obit : fletur. Defuncta Creusa est :
 84 flenda viro. Rapta est filia : flenda patri :
 85 sed Matri ante omnes. Secat haec furiosa capillos :
 86 et furcam Lachesi cana minatur anus.
 87 Funeribus numquam deest magni praefica luctus.
 88 Gurgite confuso tumba torusque madent.
 89 Invenies, qui se vexet, cogatque madere.
 90 Scilicet uxoris mors inopina movet.
 91 Clamabit plorans : (quoniam plorare necesse est)
 92 affer opem lacrimis nunc, crocodile, meis.
 93 Gaudet, et interea plenus lugente saliva,
 94 degeneres oculos imbuit arte nova.
 95 Verius amisso maerens pro passere fleret :
 96 quando illi conjunx noctua visa fuit.
 97 Solvitur in quos non imbres decepta libido !
 98 Aut quae non trudit flumina stultus amor !
 99 Incesto Biblis ripas pro pectore pulsat.
 100 Tabuit in fontem. Fratris amore fluit.
 101 Dic mihi, num simili planctu commissa piantur ?
 102 Quis tali laesum numen honorat aqua ?
 103 Aut quotus ob laesum, scelerum terrore suorum.
 104 In lymphas versis optat abire comis ?
 105 Ah ! lacrimis veris deflentur corpora, quorum

106 abscessere animae : nullaque ficta cadit.
 107 Deflentur nullis animae, vel non nisi falsis :
 108 a quibus abscessit Gratia, et ipse Deus.
 109 Absque anima ut nullum corpus scis vivere ; nullam
 110 vivere sic animam noveris absque Deo.
 111 Elige : mors duplex. Magis ultra timenda videtur ?
 112 Altera, si sapias, est metuenda magis.
 113 Detestabilius nec putidiusque cadaver,
 114 quam quae anima est anima functa, Deo vacua.
 115 Truncus ut immotus, visu miserabilis umbra,
 116 sensibus atque suis viribus orba jacet.
 117 Non spectat superos : non audit carmina caeli.
 118 Sed nec odoratur tus : neque manna sapit.
 119 Et quamvis animans artus, comedensque bibensque
 120 corpus adhuc habitet mortua Larva suum.
 121 Exsequias circum furiae et Proserpina ducunt
 122 accinctae facibus, funereaue colu.
 123 Jamque cavum foditur, quali fuit ille sepultus :
 124 cujus erat pauper Lazarus ante fores.
 125 Qui fles, exanimis animas, haec funera plange.
 126 Permitte hic lacrimis libera frena tuis.
 127 Nullum flere vetem : flendi siqua ulla voluptas.
 128 Tunc operae pretium : tunc lacrimare vacet :
 129 prodige, quidquid habent madidi, duo lumina frontis :
 130 illa velut gemini flumina sontis eant.
 131 Incute vim nervis : stellae et pupilla liquescant.
 132 Nulla nisi introrsum gutta repressa perit.
 133 Ex oculis, vates, ut deducatur aquarum
 134 exitus, orabat, diluviumque suis.
 135 Uttere lamentis, et tempestate salubri.
 136 Si potes, immensum vertere in Oceanum.

CALVARIA. SIVE MORTUALIS CALVA AFFABRE SCULPTA, et IN DONUM OBLATA GERMANICO GINTHRIONI.

E13 v.1 Quid mihi vobiscum est, nentes vitalia Parcae
 2 stamina ? Plus praestat mors simulata mihi.
 3 Calva laboratum scalpello munus eburna ;
 4 Mentoris hoc opus est, aut Polyclete, tuum ?
 5 Pygmalionne novus veteri spectatus ab arte
 6 incubuit denti, quem fera maura dedit ?
 7 Insignem sed enim tantum sculpsisse puellam
 8 traditur, et thalamo consociasse suo :
 9 nimirum postquam tabefactum vivere corpus
 10 fecit Acidalio ture vocata Venus.
 11 Fabula ! quod manibus gestamus, fabula non est
 12 Hoc pluris facio Pygmalione caput
 13 ramosum venis, dilapso sanguine siccum.
 14 Et tumulum redolens, funereamque specum.
 15 Centum annis credas humili jacuisse sub antro
 16 tam veri speciem funeris ore refert.
 17 Ipse decor metuendus in hoc et mysticus horror
 18 spirat : et artificii nomina magna facit.
 19 Depilis est. Crispos ferro vibrare docebit :
 20 crede mihi : crines excolit istud ebur
 21 turpe cavum sub fronte jacet : sed luminis expers,
 22 in hac nocte sua quam modo multa videt !

23 Haec tamen ipsa specus quondam radiantia late
 24 continuit geminis orbibus astra duo.
 25 Nunc consanguinei serpunt per inane lacerti ;
 26 sibila rimantes mittere velle putes.
 27 Cerne supinatas nares ! Destruxit acumen
 28 vipera. De veteri nec manet umbra stylo.
 29 Os hiat, et partem gingivae ostendit inermis.
 30 Illa tuam minuet pars vacuata gulam.
 31 Hanc tibi transmissam dono Germanice Calvam.
 32 Quae tibi nobilior Gaza venire potest ?
 33 Utere pro speculo. Nam plura videbis in illo,
 34 lucida quam Veneti reddat arena vitri.
 35 Utere pro libro. Folium est, quodcumque requires.
 36 Pagina cum nervis musculus omnis erit.
 37 Ossibus aggestis ubi coemeteria squalent
 38 inclita prae reliquis Bibliotheca patet.
 39 Instructa est multis, clarisque auctoribus una.
 40 Tot videas libros, alba quot ossa vides.
 41 Ex tumulis surgunt majores saepe Platones ;
 42 quam quos Cecropia Pallas in urbe tulit.
 43 Si rite expendas, hic est celebrata Stagira.
 44 Istud Athenaeum : Porticus ista fuit.
 45 Perlege membranas putres, putris ipse futurus.
 46 Vivere nos recte funera muta docent.

VOTUM S. MATRIS THERESIAE A IESU. DOMINE, AUT PATI, AUT MORI.

E14 v.1 Aut da, Christe, pati : nihil est, quod ferre recusem :
 2 aut in te vivo da mihi, Christe, mori.
 3 Stet votum hoc immane, pati. Tibi care dolores
 4 sponse, loco dotis, consecro sponsa meos.
 5 Immunem tanti mihi sit producere vitam !
 6 Et vitae fructum perdere laetitia !
 7 Ille dies, qui me nullo dignatur honore,
 8 subtrahit et stimulis multa ferenda meis :
 9 ex albo fratrum rasmus, sublatus ab anni
 10 partibus, in tenebras denique mersus eat.
 11 Sortibus ambiguus, stellisque egressus iniquis,
 12 ejusdem pascit conditionis aves.
 13 Infelix habeat nomen ferale nefasti.
 14 Calculus hunc ater non sine labe notet.
 15 Tamque sit infaustus, quam flebilis Allia Romae :
 16 Cannarum signet funera clade nova.
 17 Ille dies autem, precor, ut candente lapillo
 18 scriptus, purpureo solis ab ore fluat :
 19 qui poenarum aliquid secum vehit ; atque labores
 20 aggravat. In lucro est quae dabit hora crucem.
 21 Tempora labuntur tacite concessa merendi.
 22 Mors adimit vires, arbitriumque ligat.
 23 Nunc venale forum, nunc est mercabile caelum :
 24 plus reliquis patiens, justius illud emit.
 25 Semina parca manu timide jacentis in agrum,
 26 Scilicet et messis parciior hujus erit.
 27 Jam quo usura mihi sit lucis, et aeris haustus ?
 28 Aerumna si pars corporis ulla vacat.
 29 Non levis est pretii donum, pro nomine Jesu

30 posse pati. Nullus tale beatus habet.
 31 In reliquis victi, superos hoc vincimus uno :
 32 nostra quod asperius gloria calcat iter ;
 33 sentibus ac salebris obductum ; quale peregit
 34 et Deus, humano cum pede pressit humum.
 35 Forsitan invideant, caderet si livor in illos.
 36 Felices caelo testificante sumus.
 37 O si Christe, tuis caderem laniata flagellis :
 38 quattuor aut clavis in cruce fixa forem !
 39 Praebeat hysopo permixtam spongia myrrham :
 40 illa gulae nostrae dulcis Hymettus erit.
 41 Transadigat costas, praecordiaque intima, mucro :
 42 hauriat armati militis hasta latus.
 43 Omnia percurrant laceratas vulnera venas.
 44 Jam satis immensi vulnus amoris hiat.
 45 Quis mihi det vepres, vel spinae unius acumen
 46 nobile de serpto, sponse cruenta, tuo ?
 47 Felix, quae meruit totam gestare coronam,
 48 inclita Senensis Gloria Virgo soli.
 49 Membratim diris impendi gestio morbis.
 50 Nescio, quae verset saeva cupido jecur.
 51 Pleuritis fodicet : cephalea tricuspide pungat :
 52 inque modum violae febris anhela coquat.
 53 Ni crucier, meque assiduo tormenta fatigent
 54 singula ; vivendi maxima causa perit.
 55 Aeneus an Siculis taurus datur unicus oris ?
 56 Urere et haec flammis membra, Perille, potes.
 57 Edere si nequeo gemitus, mugire licebit.
 58 Da, renovem lusus ut, Theopista tuos.
 59 Objiciat Theclae frangenda leonibus esca :
 60 includat captam barbara turre sua :
 61 Ursula configat telis : transverberet ense
 62 Lucia, Martinae ferrea testa premat.
 63 Et mihi, non Agathae tantum, crevere mamillae :
 64 quas malim tingi sanguine ; lacte carent.
 65 Abula, post Catanam, quovis poscente tyranno.
 66 Carnifici prompta est uber utrumque dare.
 67 Cum vincto cupiam praeceps Ixione volvi :
 68 invidiosa negat si Catharina rotam.
 69 Ausim plus aliquid. Tenerum non aestimo sexum :
 70 edita sim quam vis deteriore luto,
 71 absque mea fieri culpa si possit, ut intrem
 72 Tartara, damnatis excrucienda rogis.
 73 Idque meo sedeat sponso, et fore sensero gratum :
 74 jam jam nulla mora est. Irrue torva cohors.
 75 Abripite hanc animam, stygiisque immittite ripis.
 76 Obruat immersum fervida spuma caput.
 77 Ponite, ubi sulphur vivax, et acutior ignis.
 78 Spissior et nox est, umbra tremenda magis.
 79 Dummodo Numen amem, non Ditis abhorreo poenas :
 80 Hic quoque thesauri pro patiente latent.
 81 Exsugam a fundo totum cum faecibus Orcum :
 82 aut triplex si quid pejus Erynnis habet.
 83 Da modo, Christe, pati : nihil est quod ferre recusem :
 84 aut in te vivo da mihi, Christe, mori.
 85 Hoc et ego exemplum, de caelo nomina ducens,
 86 quod dedit Hispanis nota Teresa, sequar.
 87 In flammis et in arma libet, gelidique procellas

88 aeris, et tumidum fluctibus ire fretum.
 89 Horum si nihil est, mea vota quod impleat : imus.
 90 Consilium vitae cessat in Urania.

MAGDALENAE OTIUM IN SACRA SOLITUDINE ASSUMENDUM.

E15 v.1 Martha, quid in terris curas tibi sumis inanes ?
 2 Anxia cur totiens sollicitudo premit ?
 3 Si nescis, unum potius spectare necesse est.
 4 Uno, cuncta, Bono si potiaris, habes.
 5 Magdalis hoc norat : votumque immane secuta
 6 procubuit Christi suavius ante pedes.
 7 Dum Soror huc illuc curritque, domumque supinat :
 8 et multas variat lauta culina dapes :
 9 illa suam mentem divino paverat ore.
 10 Numinis eloquium nectaris instar erat.
 11 Est aliquid, medium tenuisse utrinque reductum.
 12 In medio Virtus ponitur ipsa loco.
 13 Ut neque segnitie torpescant otia molli :
 14 nec minus interdum mens sibi sola vacet.
 15 Nonne fatigatus miles certamine campi,
 16 ut reparet vires, in sua castra redit ?
 17 Post tempestates, in littore nauta quiescit,
 18 risurus tumidas, quas metuebat, aquas.
 19 Frugibus aestiva messorum falce resectis,
 20 fessa super flavo mergite membra locant.
 21 Pax et amoena quies homini gratissima semper.
 22 Dulcis et irrorans firmat utrumque sopor.
 23 Pax majora decet. Refugit natura tumultum :
 24 cogatur vacuum ni violata pati.
 25 Pontibus insultat torrens, ignobilis unda,
 26 siccandusque brevi rupta per arva fremit.
 27 At quae perpetui manant ex ubere fontis
 28 flumina : dum currunt ad mare, pene silent.
 29 Sic etiam tacito volvuntur in aequora lapsu,
 30 et placidis noctu legibus astra meant.
 31 Specta Zodiacum. Terris animalia saeva,
 32 si caelo figas, absque furore micant.
 33 Non rugit Leo sidereus, mansuetior agno :
 34 non mugit Taurus, nec fera bella ciet.
 35 Ipse Aries blandus non arietat ; albaque sertis
 36 tempora praecinctus ludit ad instar ovis.
 37 Balatuque suo Zephyrum cum tempore verno
 38 evocat, et primis floribus ornat humum.
 39 Non exercendus labor est, quia Martha vocaris.
 40 Si vis, continuo Magdalis esse potes.
 41 Audi : quid Dominus voce interiore loquatur.
 42 Ille docens, sursum corda levanda rapit.
 43 Ut convertamus rectos ad sidera vultus,
 44 nascimur. Hac vita pulchrior esse potest ?
 45 Saepe bonus Genius monitis caelestibus aures
 46 instruit. Hac vita tutior esse potest ?
 47 Ambrosius quondam purgatis mentibus imber
 48 influit. Hac vita dulcior esse potest ?
 49 Qui nimis effusi tantum exteriora sequuntur ;
 50 agmina curarum post sua terga trahunt.

51 Atteritur frustra corpus, tandemque fatiscit :
 52 ut vetus et prostans littore sicca ratis.
 53 Peliacis decisa jugis sit Iasonis Argo
 54 testis et exemplum. Prima carina fuit.
 55 Per mare non notum sulcavit Phasidos undas,
 56 Thessaliam repetens, semirefecta crepat.
 57 Quod caret, alterna requie, durabile non est.
 58 Haec reficit naves, corporaque aegra levat.
 59 Ergo age, et assiduo temet furare labori.
 60 Hoc furtum, credas temporis esse lucrum.
 61 Totam aliquando velis caelo donare Sibyllam.
 62 Hoc donum, magni fenoris esse scias.

AMOR EXSTATICUS SEU AFFECTUS DIVINI AMORIS EX DICTIS SCRIPTISQUE D. AUREL. AUGUSTINI DESUMPTUS.

E16 v.1 Non semper tetricis urgebo carmina curis.
 2 Opto mihi numeros, rustica Musa, tuos.
 3 Dum repeto, summus Libyae quae dixit amator,
 4 dextera quem sacris Itala tinxit aquis :
 5 eloquii subeunt jam dudum plurima compti
 6 taedia. Facundam cultius esse piget.
 7 Ut reserem nostri secretos pectoris aestus.
 8 Tuque scias, quantum te, meus ignis, amem.
 9 Sit fas in Latium peccare, et cive relicto
 10 Romano, Scythiae barbara castra sequi.
 11 Spicula tendit Amor. Gens non magis ulla sagittis
 12 utitur, horribiles, quam pharetrata, Getae.
 13 Barbara sim sane, dum non et frigida dicar :
 14 solvere sed Geticas posse calore nives.
 15 Liberiore modo nobis, dilecte, loquamur.
 16 Pieridum lacerat vincula fortis Amor.
 17 Nec curat vario flores examine lectos :
 18 quos nasuta nimis vana Poesis olet.
 19 Cantemus, mea Lux, et amemus. Amare voluptas
 20 semper erat : quovis tempore semper erit.
 21 Absque labore nihil, dicunt proverbia : multo
 22 verius hoc canerent : est sine amore nihil.
 23 Fructus, amor, vitae. Quisquis neglexit amare ;
 24 perdidit aetatem, perdidit ille dies
 25 at quid amem ? Quaerendus erit dignissimus omni
 26 ex numero. Gaude, quando repertus erit.
 27 Quam pedibus calco terram, non poscit amari.
 28 Nescit enim vel de nomine, quid sit amor.
 29 Crassa jacet moles, teneraeque impervia flammae :
 30 collibus et silvis rideat, esto, suis
 31 non tamen omnino silet hoc immane theatrum.
 32 Concutiens aures clamat et iste Globus.
 33 Illum qui vacuo suspendit in aere terras,
 34 librantem tantae pondera molis ama.
 35 Scitor ab Oceano : num noster amabilis ipse es ?
 36 Dicite Delphines : nostis amare lyram.
 37 Clamant vel muti pisces de gurgite vasto :
 38 altior est : illum, qui mare fecit, ama.
 39 Ingredior tenues auras et lene meantes,
 40 forsitan hic nostro dignus amore volat.
 41 Fallit Anaximenes, et fallitur ; instrepit aer :

42 concentuque avium dicta sonante probat.
 43 Ille tuus spirat multo me lenius, illum,
 44 qui plenum pennis aera fecit, ama.
 45 Transeo flammantem sphaeram ; atque interrogo Caelum
 46 tot stellis ardens, luminibusque micans.
 47 Num tu formosus meus es super omnia ? Non sum,
 48 vocibus innumeris intonuere Poli.
 49 Quid nitidum, quid me pulchrum miraris Olympum ?
 50 Pulchrior est, a quo quod sit, Olympus habet.
 51 Illum adeo, qui me, qui tot radiantia signa,
 52 scripta tribus digitis sidera fecit, ama.
 53 Nos, animamque tuam : sed et omnia condita transi :
 54 invenies, qui sit dignus amore tuo.
 55 Tandem quem teneo, numquam dimittere fas est.
 56 Te retinebo Deum, semper amore meum.
 57 O Decor antiquus, facies pulcherrima rerum,
 58 sero dilexi te Nova, sero nimis.
 59 O jubar aeternum, primae uvae lucis imago :
 60 sero dilexi te Nova sero nimis.
 61 O antiqua tibi, mihi sed Nova, sero venustas
 62 te mea dilexi, te mea sero nimis.
 63 Compensanda mora est : ut quanto tardius hujus
 64 immanis pulchri cognita fama fuit :
 65 tanto corripiam flagrantius illud ; et ardens
 66 divino fiam totus in igne cinis.
 67 Hunc amo, siquid amo. Si non amo ; nil amo prorsus.
 68 Omnia nam nil sunt, praeter amare Deum.
 69 Non amo re, quod sis parvus vel magnus. Amarem
 70 nomen ob alterutrum. Mixtus utroque places.
 71 Ex tamen immenso, minimos contractus in artus
 72 vir puer es, magnus parvus, Homoque Deus :
 73 naturasque duas personam junxit in unam
 74 ingeniosus Amor victus amore mei.
 75 O formose puer maternis parvus in ulnis !
 76 O Patris ex utero maxime nate Deus.
 77 Si tu, qui Deus es, mea Lux, si non Deus esses :
 78 quique ego nunc homo sum, si Deus ille forem :
 79 quid facerem ? Exuerem naturam semet amantem ;
 80 indueremque hominem, te faceremque Deum.
 81 Audiat hoc Tellus, et conscius audiat aether.
 82 Obsignet votum Mundus uterque meum.
 83 Nec te amo, quod dulcis ; sed quod sis dignus amari.
 84 Esse potes facilis difficilisque mihi ;
 85 juxta est. Quando ita vis, sis durus, amarus, et atrox.
 86 Non mihi displiceas propterea ; sed amem.
 87 Nam tua non cupio, quamvis ingentia ; sed te.
 88 Nec promissa movent : et tamen illa movent.
 89 Audeo plus fari : regnum caeleste remitto.
 90 Non tanti est caelo, deliciisque frui.
 91 Plus multo est, quod amas, quod me permittis amare :
 92 quod, si amo, tu redames : si redamo, quod amer.
 93 Plus multo est, quod qui tantum Pater ante fuisti ;
 94 nunc quoque sis tenero frater amore meus.
 95 Circulus est divinus Amor : redit, unde reflexus
 96 prodiit. In fontem labitur unda suum.
 97 Et scelus, et pudor est. Ut amet, terrore minisque
 98 tristibus, et poenis est adigendus homo !
 99 Desuper instigas, suades, hortaris, et instas.

100 Vis, ut amem : quodque est majus, amare jubes.
 101 Et nisi parvero, tormenta infanda minaris ;
 102 nescio quas furias, carnificesque rogos.
 103 Atqui credideram si te prohiberer amare,
 104 Hoc satis inferni, suppliciique fore.
 105 Jam jam nulla mora est. Animo laxentur habenae.
 106 Vincla pati nequeo. Libera flamma furit.
 107 Indomitus veluti campoque potitus aperto,
 108 si semel in cursu est, frena recusat equus.
 109 Uror, ut in stipulam dumosque cadentibus Euris,
 110 fax nisi sedatur, conflagrat omne nemus.
 111 Det quod avernus amem ; mediosque immittar in ignes :
 112 si Deus est, quod amo ; nil miseram esse nocet.
 113 Quin miseram esse juvat : modo, dum cruciamur, amemus.
 114 Fortior est poenis mille beatus Amor.

PRODIGIOSUM SANCTAE WALBURGIS OLEUM.

E17 v.1 Conde tuos Pallas posthac ingloria ramos
 2 inventrix olei glauca vocere licet.
 3 Tu mihi nobilior Walburgis habebere Pallas
 4 vecta per ignotum Nympha Britanna mare.
 5 Progenies regum, Richardi Filia salve,
 6 Angla Caledonii gloria magna freti.
 7 Digna Soror fratre es ; dignus Wilibalde sorore.
 8 Quos jungit sanguis, nunc quoque jungit honor.
 9 Tu mihi sufficies medicantem vulnera sucum,
 10 nutriat ex oleo se mea flamma tuo :
 11 nullis exprimitur baccis liquor ille : trapetis
 12 urgetur nullis ; nullaque prela linit.
 13 Virgineo sensim stillans de pectore manat.
 14 Excipitur phiala gutta micante cadens.
 15 Quis memor et vires, et tot miracula rerum ?
 16 Tale nihil ficti numinis arbor habet.
 17 Exhilarat spissos sensus : sua tympana reddit
 18 auribus ; et vix non, ne moriari, facit.
 19 Horret ad ampullam Genius Phlegethonticus istam,
 20 et nimium meminit Virginis esse sacrae.
 21 Gaude walburgis, Tu prudentissima Virgo
 22 inter quinque sapis ; primaque vota facis.
 23 Numquam oleum tibi deficiet ; quia perpetuus fons
 24 te penes est ; et, quod semper abundat, habes.
 25 O qualem, et quantam caelesti lampada sponso,
 26 obvia praetendes, quando vocabit Hymen !
 27 Augebunt numerum Catharina et Otilia, Divae
 28 Montibus ac donis utraque nota suis.
 29 Elisabetha feret pateram Thuringica plenam
 30 tertia. Succedet quarta Theresa comes.
 31 Tu tamen ante alias quid nescio largius offers,
 32 et fluis in plures Virgo benigna plagas.
 33 Omnibus audiris, nullis non nosceris oris,
 34 est oleum effusum nomen ubique tuum.
 35 Cornua cervorum tibi Schenckius inclita Princeps
 36 stemmaque substernit, Pontificisque pedum.
 37 Marquardi dum fulget apex in fornice templi,
 38 vincit et emeritas Insula sacra comas :

39 dum feret Eustadium quercus ; cancrosque bilibres
 40 gurgite pallenti turbidus Almo vehet :
 41 semper et in primis nostrae celebraberis Urbi,
 42 stet modo praesidio fulta, et inuncta tuo.

IMAGO CAELESTIS SEU ICON PRODIGIOSA DIVINUM PUSIONEM IN GREMIO MATRIS...

E18 v.1 Quae manus e vili divinos ducere vultus
 2 arbore, tam vivo schemate digna fuit ?
 3 Ut cum Matre Patrem discit cognoscere natus !
 4 Ut nato Mater stat bene juncta suo !
 5 O lignum felix, omnique beatius auro :
 6 Sola cui pretium nobile forma dedit.
 7 Est aliquid. Divos spectare, et adesse putare :
 8 et quasi cum vero Numine posse loqui.
 9 Sic moror in caelo : nec me tenet ultima Tellus,
 10 utque volo, superum sospes in arce moror.
 11 Divinos video vultus, velut opto videre.
 12 Vix hujus voti spes fuit ulla mihi.
 13 Utque salutabam, numen caeleste saluto.
 14 Quod tribuas aliud, nil, puto, majus habes.
 15 Quid nostris oculis nisi sola palatia desunt ?
 16 Qui locus, ablato numine, vilis erit.
 17 Cum spectem Christum, videor mihi cernere Caelum.
 18 Nam Patriae faciem sustinet ille suae.
 19 Fallor ? An irati mihi sunt in imagine vultus ?
 20 Torvaeque nescio quid forma minantis habet ?
 21 Parce Puer toto major virtutibus Orbe :
 22 justaque vindictae supprime frena tuae.
 23 Parce Puer saeculi Decus admirabile nostri :
 24 terrarum Dominum quem sua cura facit.
 25 Per Patrem aeternum, qui te tibi carior ipso est :
 26 per numquam vanas ad tua vota preces :
 27 perque tuam Matrem, quae sola est digna reperta :
 28 et cui majestas non onerosa sua est.
 29 Perque tibi similem regum de sanguine Patrem :
 30 moribus agnosci qui tuus esse potest.
 31 Perque tuos, qui te caste coluere, coluntque :
 32 dum veniunt magno per tua jussa gradu.
 33 Parte leva minima, nostras et contrahe poenas :
 34 daque procul, stygio qui sit ab hoste, locum.
 35 Est tua (si fas est) a Numine proxima Virgo.
 36 Nomina sint precibus non inimica meis.
 37 Sic caput antiqui contritum et cauda Draconis
 38 ante triumphantes pressa ferantur equos.
 39 Sic Anna, et tecum regnet Joachimus in aevum :
 40 Filia nec similis nata sit ulla tibi.
 41 Tu quoque conveniens ingentis sponse Maritae,
 42 accipe non dura supplicis aure preces.
 43 Sic te Virginea decoret cum conjugis proles :
 44 festaque sit triplex una corona trium.
 45 Sic quem dira tibi rapuit Judaea, peremptus
 46 pars fuerit sortis sola caduca tuae.
 47 Sic tibi mature, proprii quoque funeris ultor.
 48 Purpureus niveis Filius instet equis.
 49 Annuite o timidis, mitissima nomina, votis :

50 praesentemque aliquid prosit habere Deum.
 51 Caesaris adventu tutus gladiator arena
 52 exit : et auxilium non leve vultus habet.
 53 Nos quoque vestra juvet, quod, qua licet, ora videmus :
 54 intrata est superis quod domus una tribus.
 55 Felices illi : qui non simulacra, sed ipsos ;
 56 vestraque qui coram corpora vera vident.
 57 Quod quoniam nobis invidit inutile Fatum :
 58 quos dedit ars, vultus effigiemque, colo.
 59 Sic homines novere Deos, quos occulit aether
 60 falsos : et colitur pro Jove forma Jovis.
 61 Denique, quae mecum est, et erit sine fine, cavete ;
 62 ne sit in invisio vestra figura loco.
 63 Nam caput a nostra citius cervice recedet :
 64 et patiar fossis lumen abire genis :
 65 quam caream vobis, caelestia nomina, raptis.
 66 Vos eritis nostrae portus et aura ratis.
 67 Vos ego Tartareis complectar cinctus ab armis :
 68 utque meas aquilas, vestra ego signa sequar.
 69 Aut ego me fallo, nimiaque cupidine ludor :
 70 et spes exsilii commodioris adest.
 71 Nam minus et minus est facies in imagine tristis :
 72 visaque sunt dictis annuere ora meis :
 73 vera, precor, fiant timidae praesagia mentis :
 74 justaque quamvis est, sit minor ira Dei.

ARANEA. SIVE: CURAE HOMINUM CUM LABORE ARANEARUM COMPARATAE IUXTA ILLUD ISAIAS C. 59...

E19 v.1 Hanc tu quam spectas, quae pendet Aranea tecto,
 2 si credis, quondam Lyda puella fuit.
 3 Seu pingebat acu, seu lanam texeret albam,
 4 Maeonias potuit vincere docta nurus,
 5 utque ea spectarent, facta et facienda, modumque
 6 torquendi fusos, artificesque manus
 7 dicuntur Nymphae Pactolides, atque Napaeae
 8 Tmoli, furtivos accelerasse gradus.
 9 Haec tamen a fastu periit : dedit improba poenas
 10 ultrices (fastum, Virgo superba, cave !)
 11 Divum contemptrix, et certatura Minervae,
 12 esse aliquid dum vult, est prope facta nihil,
 13 quid praeter minimum caput atque exilia crura
 14 nunc punita gerit ? Cetera venter habet.
 15 At mutata licet sit forma : ars pristina mansit :
 16 et natura sagax, ingeniumque leve.
 17 Aspice, ut infelix pedetentim industria sudet !
 18 Incipit a nebulis ; articulisque micat.
 19 Stamina dat tramis : rotat haec iterumque retorquet,
 20 distinguit radiis, multiplicatque sinus
 21 jam glomerat, jam prosubigit, jam circinat orbis.
 22 Ut fabricet sedem, quantus ubique labor !
 23 Mox retro graditur, suaque in tentoria condit :
 24 ac miris cohibet viscera fusa modis.
 25 Quandoque et gyros trutinat pendente lapillo :
 26 ne noceat Boreas, vel gravis aura Noti.
 27 Denique prospiciens totam considerat aulam !
 28 Omnia num constent ordine membra suo.
 29 Romanos credas aediles limina Jani
 30 ponere, vel Templo de Salomonis agi.

31 Ac velut Euclides tradens praecepta moneret :
 32 consentit tereti pendula tela metro.
 33 Fama Syracosii toto volat orbe magistri
 34 inventis celebrem praevaluisse virum.
 35 Vota mathematici Virgo Colophonia vincit :
 36 fitque novae tatrix mira Patrona casae.
 37 Ecce, casam medio suspendit in aere fixam :
 38 quam Siculus nequii qualibet arte senex.
 39 Hic postquam remeans polygonam absolverit arcem,
 40 se medio regni corde quieta locat.
 41 Quem mihi Persarum Chaldaeorumque monarcham
 42 tam bene compositum regia Susa dabunt ?
 43 Tam bene qui corpus solio sublimis ab alto
 44 libret in excubiis, et statione vigil.
 45 Adde : quod in casses muscas sine lege volantes
 46 trudat praedatrix insidiosa suos.
 47 O gula ! mellilegas etiam, quas educat Hybla,
 48 devorat, et siquas perdit Hymettus, apes.
 49 Eheu ! quam brevis est fragilisque potentia rerum !
 50 Quam subito casu, quae valuere, ruunt.
 51 Cum scopis ancilla venit, murumque repurgat :
 52 diruta Persepolis texta repente jacet :
 53 Hic torus, hic sceptrum est, hic Cyri regia sedes,
 54 Hic venatrices, retia rara, plagae.
 55 Haud aliter, si parva licet componere magnis,
 56 cum puer excussus decidit axe Patris ;
 57 Eridanumque bibit Phaethon a sulphure fumans ;
 58 parebant toto fragmina sparsa polo.
 59 Hinc fractae jacuere rotae, vestigia currus.
 60 Dexter pars illuc, temo revulsus ibi ;
 61 parsque sinistra alibi. Telo Jovis ira trisulco
 62 Vulcani totum dilaceravit opus.
 63 Estne igitur tanti solium suspendere tigno ;
 64 unica sudatos perdat ut hora dies ?
 65 Hac prorsus vivunt homines ratione ; laborem
 66 stultitia nisi quod deteriore locent.
 67 Interitura brevi quanto sudore paramus
 68 oppida ? Trojanos aedificamus equos.
 69 Proferimus sumptu substructam ad sidera molem.
 70 (Tu vanae dicas textile mentis opus)
 71 ingentes Pario caeduntur monte columnae ;
 72 attollunt summum marmora celsa jugum.
 73 Parietibus pictis innexa tapetia pendent.
 74 (Qualia visceribus nevit Arachna suis.)
 75 Hic epulo dives recubans sibi saecula fingit
 76 cervina, in longos continuanda dies.
 77 Vive anima, et partis fruire in laquearibus altis.
 78 Invidiam superis laeta movere potes.
 79 Quid ? Quod et iste sciat retinacula pandere muscis,
 80 quae ruri circum lignea saepta volant.
 81 Agricolae, inquam, pingues deglubere novit ;
 82 ac cives, quorum plena crumena tumet.
 83 Nempe dolis ac fraude valens, astuque maligno,
 84 paupertatis opes in sua castra trahit.
 85 Dumque trapeta gemunt, et torcularia spumant :
 86 lautaque prae nimio pondere mensa tremat :
 87 ecce pedem tacitum tollens inopina subit Mors ;
 88 ut media fures nocte subire solent.

89 Sternit Arachnaeis fundata palatia curis,
 90 falce cadit Dominus, fulmine tacta domus.
 91 Non opus aerisono tales quatere ariete muros,
 92 impulsu jaculi machina tota ruit.
 93 Divitias haeres, et gazae frusta superbae
 94 dissipat, avulsis comminuenda seris.
 95 Arca supinatur. Discinditur omne caducum.
 96 Ex fracto partem quilibet asse rapit.
 97 Hoc est terrigenas meditari, ut aranea, quondam
 98 multos circuitus, teste Davide, facit.
 99 Donec Parca colu longa sublimia tangat ;
 100 ex alta nidum dejiciatque trabe.
 101 Omnia sunt hominum tenui pendentia filo :
 102 si quidquam, vere, Naso poeta canit.

SPECTACULUM FERARUM TERRESTRIVM NEGLIGIT COELESTIBVS INTENTVS.

E20 v.1 Nuper in has oras peregrinus venit Agyrta
 2 adductis Libyca de regione feris.
 3 Tres intra caveam clausae : leo, barrus, et ingens
 4 rhinoceros : hostis, trux elephante, tuus.
 5 Praeterea par ursorum ; par nobile fratrum
 6 duxerat epoto Sarmata pastus equo.
 7 Qui scirent choreas agitare, et grandia sponte
 8 ad sonitum notae crura movere tubae.
 9 Fit strepitus tectis. Populus concurrat in orbem.
 10 Promitur argentum. Rara videre juvat.
 11 Dives ad hunc luxum quisque est. Si forte juvandus
 12 occurrat modica pro stipe pauper, egent.
 13 Qualis, ubi ludos circenses Caesar agebat
 14 Julius, aut hujus Magnus in Urbe gener :
 15 bruta, feroxque parens infusa est Africa Romae
 16 et varias pelles Martis arena tulit.
 17 Tunc populus torrente rapi : comburere totum
 18 cives haec inter gaudia saeva diem.
 19 Si rite expendo ; nostri dementia saeculi
 20 haud minor est. Veterem jam nova Roma subit.
 21 Praecinuit tubicen. Magna exspectatio vulgi.
 22 Spectandum in primis Rhinocerotata petunt.
 23 Visuri, ut solido cataphracta haec machina cornu
 24 pugnet : an in Lucam sit ruitura bovem
 25 me quoque sollicitant, urgentque accedere circum.
 26 Abnego. Terrestres, non mea cura ferae.
 27 Tollamus cum mente oculos. Satis Astra, superque
 28 in se, si volumus, quod tueamur, habent.
 29 Sive libet suda speculari sidera nocte
 30 Belua scintillans implet utramque domum.
 31 Sive die, quamvis oculum nulla Astra lacessant,
 32 oblectat Siculi sphaera movenda senis.
 33 Mira per aetherios radiant spectacula campos
 34 amphitheatrali Principe digna magis.
 35 Ecce Cleonaeum spatiosa mole, Leonem !
 36 Occupat immensam fulva propago domum.
 37 Quanta sit, unius doceat pedis unicus unguis ;
 38 Hic verum : ex primo noscitur ungue Leo.
 39 En quales per colla jubae flaventia manant !

40 Quos pandit rictus Herculis iste Labor !
 41 At totus cicur est. Stellas tamen exspuit ore.
 42 Majorem reliquis cauda retorta vehit.
 43 Cetera blanditur. Vicinae Virginis astrum
 44 lambit, et ex spica lucida grana capit.
 45 Lernaeae quamvis se debeat Hydra paludi :
 46 in caelo flammam nil nocitura vomit.
 47 In quot se nodos, et quanta volumina torquet !
 48 Ex quo perdomita est, sibila vana movet.
 49 Cetus stagna colit nitidis rutilantia ripis.
 50 Hic natat, et secum sidera lota trahit.
 51 Si libeat, licet et vastum Delphina videre.
 52 Dicitur assuetus piscis et iste Lyrae.
 53 Ad plastrum Arcturi volitantem cerno Draconem.
 54 Faucibus eructat prodigiale Jubar.
 55 Quisnam hic Centaurus Chironis nomine clarus ?
 56 Pelidae quadrupes iste magister erat.
 57 Parte hominem praefert, parte inferiore caballum ;
 58 ungulaeque obstantes scindit adunca faces.
 59 Assurgit Serpens guttis maculosus, et auro,
 60 inque orbem trifido volvitur ore micans.
 61 Circulus objicitur brevis haud procul aetheris axe,
 62 hic habitant celebres Major, et Ursa Minor.
 63 An mihi tale dabit fecunda Polonia monstrum
 64 omnibus excussis per nemus omne feris ?
 65 Villosam extendunt, stellato corpore, pellem ;
 66 illarum custos proximus ipse stupet.
 67 Utraque sicca tamen prohibetur ab aequore tingi ;
 68 culpa Tantaliam qua meruere sitim ?
 69 Haec quoties- volo -cumque, licet simulacra tueri ;
 70 nec pretio scena est talis emenda gravi.
 71 Offertur gratis. Numos donabimus Iro.
 72 Et pretium reddent sidera visa mihi.

TURPIA THEATRORUM SPECTACULA SACRIS ESSE PERMUTANDA.

E21 v.1 Cedite profanae spectacula turpia scenae !
 2 Quid facit in publico lena, puerque loco ?
 3 Forte nimis timida est, scelerumque ignara juvenus
 4 ut sit nequitiis exstimulanda novis ?
 5 Corruptit corrupta probos comoedia mores :
 6 et dirum casta vulnus in aure facit.
 7 Cantica probrosae Veneris redolentia myrtum :
 8 quae fundit tremula voce Cupido puer :
 9 inconstant animos. Oculi praecordia figunt.
 10 Virginis accessit : pes meretricis abit.
 11 Principio frontem tituli promittit honesti
 12 actio ; tres Charites Pieridesque novem.
 13 Agnetem dandam viso laetaberis agno
 14 vicerit ut turpem casta puella virum :
 15 finis in obscaenum mutatus desinet Hircum ;
 16 Hoc solo tragici nomine dignus erat.
 17 Ecce levem pharetram mentitus, et ora Dianae
 18 prodit in orchestram Juppiter ! Equid aget ?
 19 Hoc, quod Junoni doleat, nuptamque sororem
 20 in furias laetae mentis, et arma trahet.

21 Tu miseranda luis furtum Jovis, Arcade nata,
 22 quamquam insons : posset si modo silva loqui.
 23 Instat, et apprensus Saturnia saeva capillis
 24 sternit humi pronam, verberibusque domat.
 25 Nec satis hic : adimit formam, gracilisque puellae
 26 vertit in hirsutam perdita membra feram.
 27 Quid juvat in caelum transferri flebile monstrum
 28 lucida si Famam perdidit Ursa suam.
 29 Quid facient imi, faciant si talia summi ?
 30 Quem pudeat, qui scit depuduisse Jovem ?
 31 A diis peccandi generosa exempla petuntur.
 32 Est aliquid magnum stupra praeisse Jovem.
 33 Hic tamen in scenam producitur, atque triumphat.
 34 Hic plausum : hic Circi totius euge refert.
 35 Plura quid his memoro ? Nam quo corruptus Adonis.
 36 Nempe ut eum rursus mactet aduncus aper ?
 37 Intra continam maneat lasciva Lycoris
 38 et Danae, et fratrem non bene Byblis amans.
 39 Luditur Aegisthus ; juvenis quid discet ab illo ?
 40 Ut possit dici : desidiosus erat.
 41 Luditur Actaeon : imponi posse docebit
 42 cornua non meritis saepe ferenda viris.
 43 Fabula in historiam transit, renovante chorago ;
 44 et pleius, quam quod videris, ipse facis.
 45 Eia coronatos superum spectemus agones !
 46 Ista voluptatis dignior ansa foret !
 47 Victrices lauros, rorantes sanguine palmas,
 48 mirari merita non sine laude decet.
 49 Purpureos Christi testes stare ante tribunal,
 50 irridere minas, flagra, metalla, necem.
 51 Exsultare alacres stridente Neronis aheni ;
 52 dicereque : haec Tauri forma Sicana placet.
 53 Romano in Circo pugnans Ignatius alto
 54 Marmaricas in se provocat ore feras.
 55 Invitat segnes victus, Afrisque jubatis
 56 exprobat ignavas in sua fata moras,
 57 assatum est. Epulum Decio Laurentius offert.
 58 Carnem, ait, hanc, an sit sat bene cocta, proba.
 59 Aspice ! Martinam quamvis gravis ungula pulset,
 60 viscera dilacerans ; integra Virgo manet.
 61 Inicitur flammis, medios servata per ignes ;
 62 quas pressit prunas, credidit esse rotas.
 63 Haec nostris o Christiadae sunt digna theatris,
 64 haec plausu, haec oculis, moribus, atque fide.

SUSPIRIUM AD D. CATHARINAM V. M.

E22 v.1 Salve delictum cordis, mitissima Virgo
 2 quae majus glauca Pallade numen habes.
 3 Ossa fluunt oleo, sub viscera rupis eunte.
 4 Marmora perrumpit nobilis iste liquor.
 5 Omnia si Libani folia in praeconia vertam,
 6 nondum pro meritis sat celebrata fores.
 7 Vicisti facunda sophos, et acumine mentis
 8 transfigis grandes parva puella viros.
 9 Cessit Porphyrius miles, Martique profano

10 cingula cum pacto reddidit aere sua.
 11 Inque manus Christi concessit regia conjunx.
 12 Sub gladio tecum fortiter ausa mori.
 13 Vicisti colubros, ferrumque, ignemque, rotasque.
 14 Et siquid cultris saevius esse potest.
 15 Te propter rapidi supra capita alta pelasgum
 16 fulguribus mistis intremuere poli.
 17 Te propter portas patefecit flammeus aether.
 18 Fulmine disjecta est machina, quanta fuit.
 19 At tua, cum caesa es, pro sanguine, lactea cervix
 20 lac dedit. Haec doctae Virginis uber erat.
 21 Salve praesidium toto sublimius orbe
 22 non decuit castum serpere funus humi.
 23 Aetheriae mentes, caelo delapsa juvenus
 24 allatum pennis huc statuere suis.
 25 Diva fave coeptis, nostroque illabere voto.
 26 Deprecor : et Musae sis Cyprosura meae.

DE UTRAQUE FORTUNA MARIAE STUARTAE SCOTIAE REGINA.

E23 v.1 Si genus est aliquid, si rarae gratia formae ;
 2 pulchrior in terris nulla virago fuit.
 3 Ut rosa florebat : multique, ex omnibus hortis ;
 4 arserunt reges nubilis igne rosae.
 5 Nupserat : et caro Francisci pollice lectam
 6 alba maritarunt lilia, Galle, tua.
 7 Vernavitque torus : donec languentia culmo
 8 inclinante comas, sunt ea visa mori.
 9 Invitata dehinc Tamesinam visere ripam,
 10 naufragio tetigit regna propinque suo.
 11 Escendens, salve Soror o dilecta, precatur.
 12 Aspira votis portus, Elisa, meis.
 13 At vix Luna suum mutavit tertia vultum :
 14 verterat et vultum Luna Britannia suum.
 15 Protinus in villae tetram subducitur arcem :
 16 et male captivam carceris horror habet.
 17 Libertate, bonum quod sceptrum majus, adempta,
 18 tantum non nervos compede vincta tulit.
 19 Non licuit scriptis ulli sua sensa tabellis
 20 edere : vel caro cominus ore frui.
 21 Erigitur tandem supremi pegma doloris :
 22 sternitur atratus perque cubile tapes.
 23 Hinc nothus urgebant fatum ; Leicestrius illinc.
 24 Hostis Caecilius pejor utroque fuit.
 25 Quo subito Titan properans occumbere migrat ?
 26 Nempe videre tuum crimen, Elisa, nequit.
 27 Buchostus quaestor, (potiori jure vocandus
 28 lictor) supremum tempus adesse monens ;
 29 nuntiat infaustum "gilti", lacrimabile Theta :
 30 quo damnare reos Anglia torva solet.
 31 Audit, et exultat percepto mortis honore ;
 32 seque triumphantis more Stuarta parat.

TRIUMPHALIS AGON EIUSDEM REGINAE.

E24 v.1 Surgebat sparsis maerens Aurora capillis ;
 2 non quo purpureum provehit ore diem :
 3 sed quali ad Phrygium deflevit Memnona bustum ;
 4 caesus Achilleis cum raperetur equis.
 5 At tunc non planxit Gnati miserabile funus.
 6 Maesta tuam doluit Scota necanda vicem,
 7 adsunt pantherae sitientes sanguinis alti.
 8 Absens una quidem : nulla remota minus.
 9 At nihil humani Regina in pectore passa ;
 10 aggreditur pompam laeta Stuarta suam.
 11 Intrepida ascensu superat ferale theatrum :
 12 magna prius, sed tunc maxima visa fuit.
 13 Fronte serenata, sacro fulgore relucens.
 14 Eminet augusto castus in ore decor.
 15 Cum formosa foret, solito formosior ibat :
 16 vicinam tanto clarior ante necem.
 17 Solis ut occumbens apparet pulchrior orbis ;
 18 Oceanum tangit quo propiore rota.
 19 Induit et vestes regali Principe dignas,
 20 Francisco rursus nubere velle putes.
 21 Ecce, pio gemitu comploravere ministrae.
 22 Ubertim lacrimae maesta per ora cadunt.
 23 Conclamant omnes, ululatuque atria complent :
 24 et caput et gremium percutiente manu.
 25 Increpat attonitas : tristesque amplexa puellas.
 26 Flere vetat mulcens, atque silere jubet.
 27 Non est plorandi tempus, vel causa gemendi.
 28 Jam gaudere decet. Finis agonis adest.
 29 Jam lustris plus ecce tribus captiva tenebar.
 30 Libera, per mortem, tota futura gemam !
 31 Immota facie tunc verba novissima dixit.
 32 Haud aliam virtus, cum mala vincit, habet.
 33 Usque adeone mihi moriturae vivere dulce est ?
 34 Insonti misera est res adeone mori ?
 35 Si tamen in Scota Romana inquiritur, adsum
 36 utraque jam non est una neganda sibi.
 37 Hinc capitis jactura mei ; quia supplice ritu
 38 prona tuum veneror, maxima Roma, caput.
 39 Ergo mori fixum est ? Et sic ? Moriamur inultae ?
 40 O utinam et scenam spectet Elisa meam.
 41 Ventum erat ad metam, fato properante, supremam.
 42 Nulla mora est, inquit. Corpus habete meum.
 43 Spiritus aetherias solvendus anhelat in oras.
 44 Ex Fodringano liber abire cupit.
 45 Dixerat : et regni ponens insignia, peplum
 46 detraxit capiti sponte recincta suo.
 47 Ipsa suis manibus nudavit nobile collum :
 48 Album lacte magis, candidiusque nive,
 49 carnificis trepidare manus : pallescere vultus.
 50 Sed retinet vultum mox ferienda suum.
 51 Ter quatitur cervix : ter inhorruit acta securis.
 52 Triplex, quae nullo vulnere digna, tulit.
 53 Spectantum auditi questus, abruptaque verba :
 54 "singultu gravidos impediante sonos".
 55 Quid monstri ? Qui causa necis ? Crudelibus hostes
 56 parcere lamentis non potuisse ferunt.

57 Quin oculos etiam multi clausere feroces.
58 Et, qui fecerunt, erubuere scelus.

CLAMOR SANGUINIS EX TUMBA STUARTIANA.

E25 v.1 Vita vale, quae mortalis, quae lubrica, corpus
2 casibus alternis circumagenda premis.
3 Caeca vale Fortuna : vale fallacia rerum :
4 Cumque tuis larvis, perfide Munde, vale.
5 Reddo tibi diadema nocens : cui caesa ruborem
6 imbuto, murex concolor ipsa dedi.
7 Tunc cocco bis tincta fuit, quam, purpura, gessi :
8 quando etiam nostro sanguine tincta fuit.
9 Nostra vale, vel si jam non es Scotia nostra :
10 at certe quondam Patria nostra vale.
11 Parve Iacobe vale, cineresque amplectere Matris ;
12 signa tibi vitae quae moritura dedit.
13 Si non vis lactis, si non memor esse papillae :
14 pectoris, et nostri sanguinis esto memor.
15 Testis hic est liquidus, me pro caelestibus Aris,
16 et pro Romanis occubuisse focus.
17 Francia cara vale, finemque impone dolori.
18 Manibus alterius tam pia cura litet.
19 Si composita sinu placido communis utrique
20 Francisci foveas molliter ossa, sat est.
21 Terra Britanna vale : tuque arx custodia nostri.
22 Pulchrior o quanto nunc placet aula mihi.
23 Te mare circumdat salsum : me dulcius omni
24 melle, nec hoc ulla est Insula saeva mari.
25 Tu minimos a Sole dies capis indiga lucis :
26 continuo lucet regia nostra die.
27 Angelico regno mutavimus Anglica regna :
28 Hibernum verno ; perpetuoque breve.
29 Caelum habito, pedibusque vagantia sidera calco :
30 illaque despicio, suspicienda tibi.
31 Denique Elisa vale ; Elysia dum versor in ora :
32 et nube elisa fulmen Elisa cave.
33 Quam timeo, ne te celeri pede poena sequatur :
34 quaque fluit Tamesis, confluat et Nemesis.
35 Nil precor ; et meritas avertio Numinis iras.
36 Sic, sic ulcisci laesa Stuarta solet.
37 Mitte minas, cinerique fave, vanique pavoris
38 desine - jam nulli sum metuenda minus.
39 Viximus : insidias et vim desiste vereri.
40 Pace tua, quaero : cur mea bella times ?
41 Numquam, cum possem, classes vel classica movi ;
42 armaque in adversam seditiosa tuli.
43 Anne tubam inflarem primum post Fata ? Quiesco.
44 Quam cupio inflari, est illa suprema tuba :
45 surgite mortui. Venite ad iudicium.

APOTHEOSIS MARIAE STUARTAE, REG. SCOT.

E26 v.1 At non in gladios animus post funera victor

2 incubuit ; nullo jure tenendus humi.
 3 Ille super nubes, omni intractabilis irae,
 4 vivit et exsultat. Cetera facta cinis.
 5 Scinde, feri, macta, satiare Britanna cruore.
 6 Sacra suum semper possidet Urna decus,
 7 i sepeli, confunde artus et sterne jacentem :
 8 Scota tamen vel sic stare sepulta potest.
 9 Cum cecidit, non lapsa fuit. Simul illa resurget ;
 10 Angla scies Scotam non lacuisse ream.
 11 Quae Regina fuit vivens, est mortua martyr.
 12 Hunc titulum Thalamus, contulit hunc tumulus.
 13 Ossa inclusit humus ; sed laus circumsonat orbem.
 14 Ut taceat ; non hanc marmora muta tacent.
 15 Uno ne ruerent et Vita et Fama sub ictu ;
 16 longius a collo Fama remota stetit.
 17 Altius o Britones, est sustollenda securis ;
 18 tangere si vultis, quod super astra volat.
 19 Exceptit gremio Virtus et Gloria functam ;
 20 inque sinum Mariae Caelicolumque tulit.
 21 Regali tumulo nulla est figenda cupressus,
 22 flebilis haec arbor tristia Fata decet.
 23 Nemo super fundat prohibentia balsama tabem.
 24 Hoc funus numquam putre cadaver erit.
 25 Nemo manus castas palmis victricibus ornet.
 26 Utraque jam duplex est sibi Palma manus.

APOSTROPHE EXPOSTULANS CUM ELISABETHA ANGL. REGINA STUARTICIDA.

E27 v.1 Adsta orbis ; tantumque nefas expende bilance :
 2 quamque trucidarit mitis Elisa, vide.
 3 Praestat, ut hanc ipsam meritis Rhamnusia probris,
 4 alloquio vindex conveniente premat.
 5 Dic : quid in exemptam reginam juris habebas.
 6 Ut caderet ferro victima Scota tuo ?
 7 Hanc face legitima natam produxit in auras,
 8 antiquo regum sanguine nata parens.
 9 Hanc face legitima nuptam sibi Gallia junxit :
 10 liliaque in casto visa fuere toro.
 11 Te tulit incestus venter, trepidante cubili.
 12 An non, quae genuit, lena Bolena fuit ?
 13 Anna soror, soror Anna suae male conscia culpae.
 14 Dicitur et genitrix, et soror esse tua.
 15 Ausa es in innocuam sine more et lege cruenta
 16 saevire, et diris excruciare modis.
 17 Quidquid praetendis, scelus ; excusatio vana est,
 18 haec peragit, quamvis sit speciosa, ream.
 19 Ictu, quo jugulum petiisti infida Stuartae,
 20 noveris hoc causam te jugulasse tuam.
 21 Quisque penetrantem nubes ac sidera vocem
 22 fusus ab humano corpore sanguis habet.
 23 Iste quoque ingenti sonitu cava nubila rupit.
 24 Martyris est audis ? Clarius ergo canit.
 25 Clamat Abelina vindictam voce tonantem.
 26 Clamat, ut e cribro fusilis unda, cruor.
 27 Frater ut a fratre est, Mundi pars quarta, peremptus :
 28 sic est a falsa caesa sorore Soror.

29 Ede : ubi nunc adamas divisus, et annulus ille est,
 30 fortis amicitiae pignus utrinque datum ?
 31 Nil adamantis habes, odio in contraria verso.
 32 Duritia in corde est. Hoc adamant is habes.
 33 Et silices animos, chalybemque in viscera ductum.
 34 Molliit aspectu regia forma suo.
 35 Ipsi hostes planxere necem positoque rigore,
 36 exequiis fortes ingemuere viri,
 37 unica non flesti, quae fletus unica causa es :
 38 heu ! nimis in tantis ambitiosa malis.
 39 Audio, quid dicas : tamen et lugubria sumpsit
 40 protinus, et pullo tecta colore fui
 41 cur igitur citharas inter, plaudentia fuso
 42 carmina Londini personuere mero ?
 43 Festivi plateis fulsere frequentibus ignes.
 44 Pulvere de pyrio quot micuere globi !
 45 Credere reginam posses non esse peremptam,
 46 sed natam. Tantus plausus in urbe fuit.
 47 Hoc erat indignam cladem lugere sororis !
 48 Sic etiam defles, quos crocodile voras.
 49 Quid cum funeribus commune petulca voluptas ;
 50 aut quid cum choreis triste cadaver habet ?
 51 Hoc jacet : hae saliunt. Post funus praefica rides.
 52 Ad feretrum ploras : sandapilasque facis.
 53 Num potes et fallax glaucoma obducere divis ?
 54 An nullos oculos Numen habere putas ?
 55 Jam jam te Manes agitant : et mille Stuartas
 56 luminibus clausis quaelibet umbra refert.
 57 Anglia Fortunae mutata volubilis instar,
 58 dum sola constans in levitate manes :
 59 quod nunc reginae ; facies quoque Regibus olim ;
 60 et, nisi me fallunt tempora sera, tuis.

SILVARUM LIBERTAS SEU IN THESES DE IURE VENANDI.

E28 v.1 Nuper ad umbrosi saltus confinia currum
 2 egerat, et cervos forte Diana suos.
 3 Currus erat, qualis solet esse ad, Maenala quando
 4 vadit, et Arcadiae, Taygetique juga.
 5 Hinc, atque inde latus stipat latrator, et ingens
 6 turba canum, ac siqua est altera nare sagax,
 7 jamque sonum cornu dederat ; jam quaerere praedam
 8 venatrix acies coeperat ; ecce tibi !
 9 Cum subito Natura Deae facta obvia : siste !
 10 Siste gradum, dixit ; siste Diana gradum !
 11 Mox stetit ; et quonam, Natura interrogat, imus,
 12 si tamen imus ? At haec : in nemus, inquit, eo.
 13 In nemus (ostendit digitis) hoc currere mens est,
 14 qua frangit medios arboris umbra dies.
 15 Dum consanguineos mihi sol novus inputat ignes.
 16 Tela fero, et certa colloco lege feras.
 17 Nonne vides ? Utinam stringant in vulnera dentes
 18 quadrupedes nenti quos mihi Sparta dedit.
 19 Fulmineus, si spumet aper si naribus uncis
 20 militet his telis, his feriendus erit.
 21 Tunc Natura jocum fingens : qua scilicet arte,

22 aut quo venari jure, Diana, potes ?
 23 Nam memini tua mater adhuc cum Virgo fuisset,
 24 nullus Apollo fuit, nulla Diana fuit.
 25 Jam Natura tamen fueram. Tunc silva ferarum
 26 silvarumque ferae, dic mihi, cujus erant ?
 27 Tunc ego jus commune dabam. Venabula torsit
 28 quilibet in quamvis me dominante feram.
 29 Tunc aliquis licita cingens indagine saltus
 30 ferre domum poterat, quem jugulasset, aprum.
 31 Tunc aliquis molli prostratum in gramine cervum
 32 aut leporem in nuda saepe comedit humo.
 33 Sed nunc lustra, Diana, cupis tibi vivere soli,
 34 privatumque facis publica jura bonum
 35 dixit, et exspectans responsa, irrisit ; at illa,
 36 o Natura parens ! O ait, alma parens !
 37 Tunc illud, de quo visa es mihi dicere, pridem
 38 vanuit, atque hoc jam coepit habere locum.
 39 Utraque justa tamen ratio est, utriusque potestas,
 40 sanctaque caesarei pondera juris habet.
 41 Crede mihi, Natura, statum si noveris orbis
 42 profuit hac homines conditione regi.
 43 I pete sis Ingolstadium, atque intellige ; summos
 44 inter doctores disputat ista thesis.

EPISTOLA DIANAE AD VENEREM DE MORTE ADONIS.

E29 v.1 Si lacrimae cessant, quibus est tumulatus Adonis,
 2 perlege, quae missa est littera, Diva Venus.
 3 Scripsimus hanc inter silvas mucrone cruento.
 4 Scribere non aliter Magna Diana solet.
 5 Uterer et calamis, et penna forte cygnorum
 6 si mihi tanta foret copia, quanta tibi.
 7 Nunc quoniam cypriis dedignor oloribus uti,
 8 est potior pharetra ; gloria visa meae.
 9 Nec tu contemnas, quia cuspide verba notavi,
 10 sufficit a tali missa fuisse dea.
 11 Ad te nostrarum, quod Epistola venerit una,
 12 crede mihi magna est gratia facta tibi.
 13 Utque nihil dubites, cervinum respice cornu,
 14 stemmatis hoc signum Diva bicornis habet.
 15 Tu thalamos, aurum Juno, Thymbramque Minerva,
 16 jactat ; ego silvas quid nisi numen amo.
 17 In quibus aut tortis hastilia torqueo nervis,
 18 aut in Taygeti retia tendo jugis.
 19 Et modo flaventes alacris prosterno leones,
 20 et modo spectati colloco dentis aprum.
 21 Sed quid ad hanc vocem fluidos impellis ocellos,
 22 fronsque superfuso maesta dolore rubet ?
 23 Scilicet ut Veneri non est solenne rubere,
 24 sic dociles oculos in sua vota trahit
 25 sentio, quod res est, tetigi miserabile vulnus,
 26 teque suo solum nomine laesit aper.
 27 Quod tibi dilectum curvato dente puellum
 28 fuderit, idcirco incerta dolensque furis.
 29 Jamque etiam diras in me, fratremque vibrasti
 30 absentes crebris usque secuta minis.

31 Flava Leontodame, Theroque, et fida Lycaste
 32 me tanquam comites admonuere meae.
 33 Cumque infensa minus moveo fine querelas
 34 Latone suboles, quid facis, Opis ait.
 35 Questa Jovi Venus est, quod Aper jugularit Adonin,
 36 procubuitque suo tristis et uda Patri.
 37 Utque aliquod sermo, vel lacrima pondus haberet,
 38 accedit natus leno cupido comes.
 39 Ille tulit secum calida fragrantia myrto
 40 tela, quibus summum saepius ussit avum.
 41 Sic arcu instructus, Matre instigante rogavit
 42 Quis non armatas dixerit esse preces ?
 43 Flevit : et o Caeli ! madida vix voce locutus
 44 defluit. Extremum murmur Adonis erat.
 45 Post ubi reliquias animi collegit in astum,
 46 haec singultavit verba tremente sono :
 47 luditur, o Caeli rector, tua Juppiter, ipsis
 48 luditur a superis filia, nostra parens.
 49 Atque utinam fieret tantum nova fabula, lusus.
 50 In quemvis trahitur saucia paene jocum.
 51 Unus ab Anchise terrestris Amasius illi
 52 restabat lepidus (scis tamen ipse) puer.
 53 Qui vix Idalium nemus incomitatus adivit.
 54 Absque plagis, nulli noxius, absque cane.
 55 Non poterat, quamvis voluisset, strenuus esse,
 56 ut pharetram ferret, vix satis aptus erat.
 57 Delia mox arcu jaculatrix desuper instat.
 58 Et movet, hyrcanam per nova tesqua feram.
 59 Nec mora, venantem sternit, ventrisque subacti
 60 pendula per medios inguina spargit agros.
 61 Quem quotes fluxis porrectum cogito membris.
 62 Effluit e digitis lapsa sagitta meis.
 63 Rus olet, et silvas factum hoc crudele Dianae.
 64 Apparet, quod sit rustica diva satis.
 65 Risit ad hoc facinus totum, et Britomartis in aurem,
 66 jam Cypris luctu squalida dixit, erit.
 67 O Genitor Divum (dein tela ostendit, et ignes)
 68 o Genitor ! natae jam miserere tuae.
 69 Hoc merui, vel cum Danaes tibi tecta reclusi,
 70 vel nova te docui fallere furta cygnum ?
 71 Nunquid Agenoream sine me, bos false, juvencam
 72 cepisses, cornu dissimulante procum ?
 73 Haec merces nobis pretiumque refertur ? Amoris
 74 scilicet hunc fructum Mater amoris habet ?
 75 Quae coram interea sine lege abjecta capillos
 76 supplevit suboli voce gemente vices.
 77 In me jurarunt Diana et Oreades omnes
 78 prodita numinibus sum tribus una dea.
 79 Sol quondam meus hostis erat, crimenque retexit.
 80 Nunc etiam nobis est inimica soror.
 81 Haec tibi sic scripsi genitrix sata flumine vivo,
 82 ut prius arcitenens retulit Aegla mihi.
 83 Primum igitur scelus est, ab apro laceratus Adonis
 84 accedit noster, proxima culpa, dolus.
 85 Denique, quod risi, videor minus aequa fuisse ;
 86 quidni etiam quartum fingere Diva potes ?
 87 Dii faciant, nunquam ut videar minus aequa fuisse.
 88 Laudabor, quando sic rea semper ero,

89 non nego, quod medius fuerit discerptus Adonis.
 90 Addo : nec hanc nobis displicuisse necem.
 91 Si tamen est verum, causa sic stante, fatendum,
 92 ipse sui fati maxima causa fuit,
 93 debuerat mansisse domi ; si noluit arcae
 94 includi. Nunquid defuit arca tibi ?
 95 Aut volucrum clatrata domus ? caveaeque minores ?
 96 Turtur ubi gemit ; aut ova columba parit ?
 97 Sunt quoque cancelli, quos intra psittace garris,
 98 in cavea claudi quin tibi cura fuit ?
 99 Jam si flevisset, mixtaque inamabilis ira
 100 dixisset : quid me femina dura tenes ?
 101 Tu tamen, amplexu nunquam dimittere certa,
 102 debueras toties ingeminare : mane !
 103 Ah Encolpe mane ! Tibi non venabula quadrant.
 104 Figat apros alius. Pulcher Adonis amet,
 105 paruit his neuter monitis, quae vestra libido est ;
 106 hinc illa lacrimae, funus Adoni, tuum.
 107 Sed formosus erat. Potuisset bellua forma
 108 parcere. O et simplex, et quoque stulta Venus !
 109 Anne dabis Paridi bruto quoque nobile pomum !
 110 Ipsa licet venias, vix tibi parcet aper.
 111 Sola potens nemorum custos, animosaque Virgo
 112 inter Hamadryades tuta ferasque vagor.
 113 Est dispar ratio silvas intrantis et hortum :
 114 hae squalent setis : floribus ille nitet,
 115 has juba nobilitat, sed luxus amoenior illum.
 116 Lusurus cur non lusit Adonis ibi ?
 117 Inputet audaci genio me iudice casum.
 118 Sed fateor poterat suavius ille mori.
 119 Cur igitur rictus nequidquam inhibere paravi ?
 120 Ex pacto multam ferre tenebar open.
 121 Quid meus irato frater mihi diceret astro,
 122 ancillam si me cerneret esse tuam ?
 123 Praeterea nosti, quod me deceperit olim
 124 arte tua pastor ; par modo reddo pari,
 125 at non me idcirco ridere decebat ? Ob unam
 126 certe tres facies nec lacrimare decet.
 127 Scis bene, quod dicar triplex, atque aspera. Laudem
 128 hanc amo, quod cupiam displicuisse tibi.
 129 Jamque vale. Vocor ad saltus, et lustra ferarum.
 130 Maenala Maenalia cornua monte sonant.
 131 Exspectant Dominam cervi pro more jugales.
 132 Quos phaleris ornant Panque, Paterque suis.
 133 Tu quoque si coram spectares gaudia ruris,
 134 rus, ut ego, cuperes forsitan olere meum.
 135 At modo scribentis si praesens hactenus ora
 136 vidisses, lacrimis colliquefacta fores.
 137 Scripsimus, et rubro signantes rore papyrum,
 138 diluimus niveas sanguinis imbre notas,
 139 quotque legis ductus, tot guttas fudit Adonis,
 140 ejus enim scribens usa cruore fui.
 141 Hoc demum placuit frustum tibi mittere dentis
 142 indicium facti vulneris ille dabit.

NILUS. SEU DE ORIGINE ET GENIO NILI.

E30 v.1 Qualia, quae, quota sint Pharii miracula Nili ;
 2 forsitan, Uranie, discere visa velis.
 3 Si vacat, expediam paucis ; reseramque relata.
 4 Explorare labor non fuit ista meus.
 5 Unde suum Nilus trahat ortum, quaerere nolis.
 6 Creditur hic soli cognitus esse Deo.
 7 Cum patrios ageret currus Clymeneia proles ;
 8 sed male directos praecipitaret equos :
 9 ardebat totus violentis ignibus Orbis.
 10 Fumabant montes : Pindus, Olympus, Athos.
 11 Cumque ipsi arerent fluvii, fontesque lacusque ;
 12 jamque sitiret Halys, cum Rhodanoque Padus :
 13 Thermoodonque ferox, Xanthusque, et Phasis et Indus :
 14 atque Tago Ganges major, Araxe minor.
 15 Fama ast : tunc etiam Nilum terrore paventem,
 16 imminui quod se cerneret inter aquas :
 17 extra anni solisque vias fugisse remotas :
 18 ignotisque locis occuluisse caput.
 19 Illud adhuc hodie, quacumque indagine lustres.
 20 Nescio, secretum qua ratione latet.
 21 Hoc quoque te scimus versu vulgasse canoro.
 22 Indulgens Musis, Naso jocose, tuis.
 23 Quaesivere sophi : frustra. Quaesivit Achoreus.
 24 Nec non Pellaea natus in arce Puer,
 25 defecere omnes. Latet hoc caput atque latebit :
 26 ni Phaethon flammis extrahat inde novis.
 27 Naturae ludentis opus. Scrutantibus offert
 28 spem, stimulosque ciet : sed reperire negat.
 29 Montibus in Lunae reperit vestigia quidam :
 30 aut, si non reperit, se reperisse putat.
 31 Aethiopum per regna fluit, cancrique rubentis
 32 brachia collecto gurgite longa ferit.
 33 Spumantem non auget hiems, non dissipat aestas.
 34 Si rapidus calor est, altius unda tumet.
 35 Cetera decrescunt quo tempore flumina ; Nilus
 36 crescit, et immensis exspatiatur aquis.
 37 Tum Pelusiacas toto petit agmine terras.
 38 Signa dat, et grato murmure pulsat humum.
 39 Hospitis adventu gaudet, madidoque colono
 40 multiplici grates ore Conopus agit.
 41 Sistra sonant, lituique fremunt. Tunc prodigus amnis
 42 aestuat, aestivum non tamen ante canem.
 43 Sirius allatrat. Simul ac audivit, in arva
 44 late restagnans pulverulenta ruit.
 45 Sic notos fecundat agros, limoque feraci
 46 irrorans glebam : pingua culta secat.
 47 Rusticus exsultans ducit per jugera remos.
 48 In quo jam nauta est aequore, messor erit.
 49 Bis metit Aegyptus : bis spicis horrea complet.
 50 Semina Triptolemus spargere plura nequit.
 51 Flaventes campos merges cerealis inundat.
 52 Post Nili fluctus fluctuat alta seges.
 53 Interea certis armenta in collibus errant.
 54 Dispersis habitant femina virque casis.
 P. S. DE CROCODILO.
 55 Est informe animal, septemplicis incola Nili.

56 Mellis amans : astu, dentibus, ungue valet :
 57 terribilis crocodilus, et omni ex parte timendus.
 58 Quamlibet elinguis, plus satis oris habet.
 59 Crescit, dum vivit ; sumitque augmenta quotannis :
 60 nec porro extendit desinit ante necem.
 61 Inque papyrifero stabulatur flumine noctu.
 62 Exigit in ripae margine latro diem.
 63 Hic oculis, ut sunt, porcinis pabula captat,
 64 post carecta latens : insidiasque struit.
 65 Erumpit subito, cum praeda notatur ad esse :
 66 sive voranda canis, sive vorandus homo.
 67 Ante quidem lacrimas demittit hypocrita falsas.
 68 Sunt, prae laetitia qui lacrimare putent.
 69 Huic tamen opposuit naturae provida virtus
 70 carnificem ; parvum, sed feritate trucem.
 71 Callidus ichneumon fauces invadit hiantes,
 72 visceraque erodit : belua rosa crepat.

EPISTOLA FRIDERICI ELECTORIS PALATINI...

E31 v.1 Mittit ab Hollando tibi vir tuus urbe salutem
 2 quae reddi sola te redeunte potest.
 3 Ille quidem positus procul erro vagatur in oris
 4 scindit ubi Batavas Belga propinquus aquas.
 5 Aut ego sum scripto nimium temerarius isto,
 6 aut te deceptam devius error habet.
 7 Perlege quodcumque est, multum si forte queramur,
 8 effice, ne verum nostra querela sonet.
 9 Diceris ad patrios iterum reditura Penates
 10 eventu careant haec tua vota suo.
 11 Quod timeam, doleo, cogit dolor ipse timere.
 12 Et nimis in curas fertile pectus alo.
 13 Utque nihil metuum, saltem brevior libello
 14 debuerat conjunx certior esse tuus.
 15 Si mihi scripsisses, habuisset epistola pondus,
 16 cur abitus venit nuncia fama prior ?
 17 Quid querar officium comitum cessasse meorum ?
 18 Si tuus in nostra est taedia versus amor.
 19 Tot mala me perimunt, quot habet vel littus arenas,
 20 vel quot oves Anglus pascit, Hymettus apes.
 21 Victus ego, fusaeque acies, tot caesa virorum
 22 corpora Stella videt, captaque Praga gemit.
 23 Defuit id solum conjunx ut abire parares.
 24 Quo fieret luctus major, abire paras.
 25 Sic fugis et meritum renuis praestare levamen.
 26 Esses ceu nullo tempore nota mihi.
 27 Unaque cum possis solacia ferre dolori
 28 meque levare tuis viribus, una negas.
 29 Quid si nescires quo nutu (an vera fatebor ?
 30 Et quibus auspiciis praelia gesta forent.
 31 Dicere si lubeat, quod me pudet, ipsa ruinae
 32 uxor es (heu fateor) maxima causa meae.
 33 Certe ego, qui digna contentus principis aula,
 34 dives et in patria, cum patriaque sui.
 35 Mox ubi regales promiserat Anglia taedas.
 36 Altera continuo est sors mihi visa peti.

37 Tu promissa venis, venit quoque dira cupido,
 38 et regnum appetiit dira cupido novum.
 39 Illa dies nocuit, qua te dixisse recordor,
 40 non indigna meas sceptrum decere manus.
 41 Est locus in silvis, quas Heidelbergae coercet
 42 moenibus, et platanis, illicibusque frequens.
 43 Haud longe ex hedera contexta cubilia praebet
 44 hortus, et immissa fronde coronat aquas.
 45 Stant in eo (steterant certe) longo ordine vites,
 46 et flores juncti vitibus, ipsa scies.
 47 Huc Phoebus lucente simul convenimus, undas
 48 fons ubi sublimes erigit, ipsa scies.
 49 Adfuit et nostri luctus Camerarius auctor,
 50 sponte vel ingenio jussus adesse suo.
 51 Juncta fides vestra est, et tu me prima monebas,
 52 Marte peregrinum sollicitare solum.
 53 Sic animum poteris apta flexisse loquela,
 54 usa tui nostra simplicitate viri.
 55 Quae sicut vestris male credidit inscia dictis,
 56 sic aliquo forsitan digna favore fuit.
 57 Credis et hoc nobis ? Quod, cum mihi visa placeres ;
 58 jurabas etiam me placuisse tibi.
 59 Ah quoties dixisse scio, te conjugem, virtus
 60 gaudia nulla mihi candidiora daret.
 61 Ah quoties etiam mea (primos testor amores)
 62 lumina sunt oculi Dux Friderice tui.
 63 Hoc quoque subridens, quod certe nulla negabis.
 64 Si mihi rex pater est, Regis et uxor ero.
 65 Caesaris uxor ero, si vis, sunt omnia praesto,
 66 esse potes Caesar, care marite, velis.
 67 Ergo ego tunc virtus, ego Rex, ego Caesar, et omni
 68 quod superat famam nomine dignus eram.
 69 Dignus eram certe : sed eram : nunc tempora dantur
 70 devicti titulum vix habitura ducis.
 71 Heu mihi quam facile est animos inflectere molles,
 72 stamina cum fatum deteriora trahit.
 73 Credidimus blandis, quae nostra insania ! verbis.
 74 Blanda minus tui verba fuere doli.
 75 Credidimus socero : num vos decepit et ille ?
 76 Muneribusque datis pars quoque fraudis inest.
 77 Fascia missa fuit (vellem non facta suisset)
 78 cingeret ut laevum munus equestre pedem.
 79 Idque etiam belli spoliis praestantius, inter
 80 sanguinolenta meos perdidit arma timor.
 81 Sed bene perdidimus, semel accepisse nocebat,
 82 si nocuit pactus te fugiente torus.
 83 Quod maleolvebas, suasisti pejus : adegit
 84 ad similem culpam quid nisi culpa tua ?
 85 Nil nostrum nisi nolle fuit ; sint sidera restes !
 86 Sidera quae praesens Numen habere puto
 87 nec tamen irascor, nec me peccasse negabo.
 88 Idque quod est nostrum nolle, fuisse luam.
 89 Tu majore tamen nos poena affligere cessa.
 90 Hoc hostes faciunt, quod fugiendo facis.
 91 Caesaris arbitrio tam dira inventa relinque,
 92 et quod agis, victor Maximilianus agat.
 93 Ut nihil accumules poenis nova sarcina nostris,
 94 non nimis exilis poena ferenda manet.

95 Ire tamen certa es maestis nil mota querelis
 96 heu mihi cur jam nunc praescia dextra tremit ?
 97 Ergo relinquemur soli ? Tu classe parata
 98 antiquos repetes, Anglica sacra, lares ?
 99 Vos venti prohibete nefas, arcete regressum,
 100 ne tumeant ullo carbasa tensa Noto.
 101 Te nullae naves (pondus volo sentiar omen)
 102 te nulli nautae sustinuisse velint.
 103 Utque velint, nequeant ; si possint, intonet aether,
 104 Hoc cessante, gravis sponte procella fremat.
 105 Sicque etiam invitam licet, ad mea littora portet,
 106 quilibet ex ventis, Aeole magne, tuis.
 107 Et scio, portabunt ; minor inconstantia ventis
 108 est illis certe major habenda fides.
 109 Sed quid opus votis, tantaque indagine rerum,
 110 ipsa redire potes, si cupis, ipsa redi.
 111 Flecte ratem, mentemque simul, mea maxima cura
 112 flecte, caret numero puppis itura suo.
 113 Me quoque, me recipi fas est, nisi mutua Pragae
 114 Cum tot militibus jura sepulta jacent.
 115 Nonne times undas, et flamina vindicis Euri ?
 116 Saepe (mihi credas) puniit unda reos.
 117 Finge tamen salvam portum tetigisse carinam,
 118 sufficit et vana est aequore mersa fides.
 119 Altera terra tibi est, alter Fridericus habendus,
 120 quemque iterum violes, alter amandus Hymen.
 121 Hasne abitura preces, haec ultima verba dedisti ?
 122 Ut reditus numquam spes foret ulla tui ?
 123 Si tu prompta virum fueras et fallere certa,
 124 dixisses saltem, Dux Friderice, vale.
 125 Tale nihil sensi, potius ficto ore locutam,
 126 et doleo te jam non meminisse mei.
 127 Numquid adhuc praesens dixisti, certa reversae
 128 signa fac expectes conjugis, oro, tuae.
 129 Exspectem ? Zephyris, quae jamjam vela datura
 130 cum velis etiam perfida verba dabis ?
 131 Exspectem ? scopulis quae durior ipsa marinis,
 132 insuetum per iter mox reditura fugis ?
 133 Et tamen expecto, venturaque gaudia, fingo
 134 quamvis a lacrimis non vacet hora meis.
 135 Jam possum elapsis menses numerare calendis,
 136 jam didici stellis nomina certa dare.
 137 Ex quo tu nostri longe procul immemor erras,
 138 esse dies mensis creditur, hora dies.
 139 Saepe mihi in somnis alia regione videris,
 140 jamque secas profuga stagna Britanna rate.
 141 Illic te invenio, sed non juvena quiescis,
 142 et quereris longas, aequoris esse moras.
 143 Utque etiam evigilo, rursus te nota reducant
 144 somnia, te rursus per mare cerno vehi.
 145 Protinus ut stupeat Camerarius, uxor abivit
 146 exclamo. Venti lintea plena levant.
 147 Ille tamen contra ; bona sunt haec omina dicit,
 148 quam cernis, reducem forte carina vehit.
 149 Sic me deludi patior, quia credere dulce est.
 150 Sicque meam sobolem, sic quoque ludo tuam.
 151 Dumque subinde petit vultu testante dolorem,
 152 Care parens quando mater Elisa venit ?

153 Illa brevi veniet fingens responsa remitto,
 154 ulterius nequeo dicere, fama vetat.
 155 Te decet anniti, ne latius iste vagetur
 156 rumor : habet vires res quoque parva suas.
 157 Si non est animus (sed sit tamen opto) redire,
 158 scribe mihi, reditus littera pignus erit.
 159 O ego si missa dignus puter esse salute,
 160 subscriptoque tuo nomine quantus ero !
 161 Tardantur scribendo vices, suspensaue certis
 162 littera saepe locis delitet, ipsa veni.
 163 Sex sumus e profugis mihi quos fortuna reliquit,
 164 septima tu fias, et, nisi fallor eris.
 165 Non ego te supplex, cum sis Regina, precari
 166 abnuo, tu noli jus temerare ducis.
 167 Si te stemma meum, tituliue et nomina tangunt,
 168 non adeo indecores et sine laude sumus.
 169 Deme quod est miserum, qua sum tibi parte pudendus ?
 170 Hoc quoque quod miserum est nobilitatis erit.
 171 Dic, age, si soles (ut oportuit) axe sereni
 172 fulsissent nobis, numquid amica fores ?
 173 Si nihil in placido vastos movet aequore fluctus :
 174 nonne per id cymba currere ludus erit ?
 175 Tunc aequo vultu fortunam ferre decora
 176 laus est, cum variam se super orbe probat.
 177 Vis ut ab antiquis repetens exempla puellis,
 178 officii moneam, tester aperta, tui.
 179 Non cupio ut redimant nostros tua funera Manes,
 180 Hoc tamen admoti conjugis exstat opus.
 181 Ut tua componas in eodem membra sepulchro,
 182 commendat facinus Laodamia suum.
 183 Sive rogos etiam mecum sensura cremeris,
 184 Iphias in flamma est aspicienda tibi.
 185 Verum alias taceo, quas nos quoque vidimus, idem
 186 ne tibi sit justis causa pudoris, honor.
 187 Una (velim quaeras) per vitam principis omnem
 188 uxor Anhaltini quam generosa fuit ?
 189 Si bene perpendas, ut te perpendere fas est,
 190 ipsa tibi dices, vir mihi vera refert.
 191 Sic precor efficias mores imiteris ut istos
 192 et leviter dicas, quid Fridericus agit ?
 193 Nimirum vixit, tibi respondebo, relictus
 194 ille miser conjunx vivit, Elisa, tuus.
 195 Ducitur (hoc saltem moveat) tristissima nobis
 196 Vita. Jube mortem ferre ; dolebo minus.
 197 Cur autem jubeas, nulla est tibi causa jubendi,
 198 plures constantis forsitan amoris habes.
 199 Nunc tibi supremos cum fletu signo dolores,
 200 si signare potest, qui numerare nequit.
 201 Per thalami te jura precor. Per si quid honesta
 202 conjugii taeda sanctius esse potest.

DE COMETA ANNO 1664. 25. DECEMBRIS ITEMQUE ANNO 1665... EPISTOLA AD URANIAM.

E32 v.1 Tempore quo casta Deus est ex Virgine natus ;
 2 et renovat cunas plebs pia, Christe, tuas ;
 3 frigida sub mediam noctem cum plaustra Bootes

4 flecteret, et vetitas ursa caveret aquas,
 5 ecce infra ventrem, cui Crater insidet, Hydri
 6 visa coruscantem Stella comata suit.
 7 Occasum versus flammam vibrabat ab ortu :
 8 terrigenum terror prodigiale rubens.
 9 Conclamant monstrum, quotquot videre, supernum.
 10 Fulgurat horribili crine cometa novus.
 11 Infremuisse ferunt : quorum labor omnis in hoc stat ;
 12 observare polos et terebrare tubis.
 13 Namque Canem tetigit majorem turbidus ignis :
 14 tum dextrum leporis venit ad usque pedem.
 15 Hinc super Eridani ripam, qua plurimus undat,
 16 et Phaethonteo volvitur amne, stetit.
 17 Inde trahens caudam spatiolo limite, Ceti
 18 faucibus inseruit, quas vomit ore, faces.
 19 Denique Phrixei foedavit velleris aurum.
 20 Tandem, ceu nubes vana, recessit apex.
 21 O Soror Uranie, dic o carissima nobis :
 22 Aetheris arcanum tu reserare potes.
 23 Pande : quid ostentum (dirum mortalibus omen)
 24 significet. Quaero : stella sit, anne vapor ?
 25 Hoc genus astrorum dicunt evertere regna :
 26 moliri caedes, pestiferamque luem :
 27 et numquam terris spectari impune Cometam ;
 28 vatibus ex priscis Tusca Sibylla canit.
 29 Terretur genitor : terretur mater ; et omnes,
 30 quotquot in hac degunt, femina virque, domo.
 31 Pro dolor ! in quae nos servavit saecula Numen !
 32 Vindice praetentat tela trisulca manu.
 33 Depulimus Geticum vix a cervice tyrannum.
 34 Horret adhuc canis hirta Vienna comis.
 35 Pannone vastato, lacerabit amicus amicum.
 36 Ambiguam gladius datque negatque fidem.
 37 Cedemus Turcis ? Ululatu nempe retorto,
 38 balare Odrysii jam didicere lupi.
 39 Ante oculos luctus, et plurima mortis imago ;
 40 faxque venenato sanguine tincta volat.
 41 Conscia tu virgo nostros solare dolores :
 42 aut vanos, si sunt, pectore pelle metus.

RESPONSORIA URANIAE AD PRIOREM EPISTOLAM.

E33 v.1 Quae petis in caelo suspensa aenigmata solvi.
 2 Est equidem mentis sublimioris opus.
 3 Attamen expediam, et qua datur ire, docebo,
 4 quid sit, et unde suum syrma cometa trahat.
 5 Non nova sunt istaec lugubre rubentia monstra.
 6 Singula funereas saecula tulere faces.
 7 Lucida congeries fit ab exhalante planeta
 8 digesta in radios conspicuumque globum.
 9 Tum circum vertigo rapit : tractumque movetur :
 10 donec deficiat, deficiente cibo.
 11 Infra seu supra spectetur cornua Lunae :
 12 sanguinea semper cornua fronte gerit.
 13 Sunt vates, sunt cursores : sunt virga tremendi
 14 Numinis, ex alto signa minantis habes.

15 Castigare volens, his Fascibus utitur, Orbem.
 16 I lictor dicit : noxia colla feri.
 17 Mox Jani Templo Mavors prorumpit aperto :
 18 mucrones, taedas, obvia quaeque rotans.
 19 Insidiae et fraudes una, Furiaeque Furorque,
 20 agmina turmatim Tisiphonea ruunt.
 21 Dat belli signum Laurenti Turnus ab arce.
 22 Classica mota sonant : saeva metalla tonant.
 23 Vallatae fumant injectis ignibus urbes.
 24 In cinerem, quidquid vel videt hostis, abit.
 25 Vastantur segetes : deflent sua damna coloni.
 26 Fit via vi. Leges quaslibet arma premunt.
 27 Triptolemi currum frangit cum vomere miles.
 28 Florentes agros ungula calcat equi.
 29 Sunt vacuata suis per lixas horrea culmis.
 30 Pauperies latum figit ubique pedem.
 31 Ergo cum paucis, quas secum tollit, aristis,
 32 flebilis in Scythiam cogitur ire Ceres.
 33 Tunc regnat malesuada Fames, rictusque caninos
 34 exserit, auditur multa querela foris.
 35 Effodiuntur humo semesa cadavera furtim :
 36 ultima crudeli cena futura gulae.
 37 Pars in vicinos, pars in sua brachia saevit.
 38 Vix suboles tuta est a genitrice sua.
 39 Hinc subitae mortes : hinc intestata juvenus,
 40 se cumulant numero plura priore mala.
 41 E tumulo pestis succincta vaporibus exit,
 42 aura creat morbos et vitiata necat.
 43 Serpit dira lues. Umbrarum examina crescunt.
 44 Quod vespillonum sarcula fessa probant.
 45 At non in vulgus tantum commune sagittas
 46 sidera vipereas spargere posse putes.
 47 Sceptra labant. Minor est in duros ira ligones.
 48 Rusticus hoc clypeo tutior esse potest.
 49 Purpureos reges, diadematosque Dynastas,
 50 iudicis ad solium triste citare solent.
 51 Nec non matronas gemmis auroque gravatas :
 52 integra quae fissa regna sub aure gerunt.
 53 Has cincinnato rutilus vocat ore Satelles :
 54 et jubet immensas ponere divitias.
 55 Quae nec habet pandum nautae moritura trientem,
 56 laetior hinc timui funere migrat anus.
 57 Accedit per operta tremor bacchatus in altum :
 58 infernas vento concutiente specus.
 59 Saepe movente solo videas conflagrare turres.
 60 Lapsibus alternis templa domusque cadunt.
 61 Fossa supinatis cives cum moenibus haurit.
 62 Ceu pecora, in campis corpora viva jacent.
 63 Flumina discurrunt, fractoque tridente redundant :
 64 et jam fit pelagus ; quod prius amnis erat.
 65 Terribili mugit tellus convulsa fragore.
 66 Nota percussis saltibus arva tremunt.
 67 Horridus ad Manes Erebi descendit hiatus ;
 68 usque ad ferratos Eumenidum thalamos.
 69 Propter inassuetum pallet Proserpina solem :
 70 atque oculos claudit lumine laesa suos.
 71 Rexque tenebrarum, ne perstringatur ab astris,
 72 interiora stygis territum antra petit.

73 Talia portendunt torvi plerumque Cometae.
74 Haec Fasti veteres Fata novique docent.
75 Ah ! quid agam, dices, tanta sub mole malorum ?
76 Inter tot clades spes erit ulla fugae ?
77 Mitte supervacuum maesto de corde pavorem.
78 Terret, non semper vindicat acta Deus.
79 Qui pia praesidio superum praecordia fulcit :
80 Virtutis retinet quem studiosus Amor :
81 nil habet a Caelo quamvis minitante timendum.
82 Seu ningat saxis, sanguine sive pluat :
83 erecto vultu spectabit in aethere castra :
84 fulminaque irati riserit ille Jovis.
85 Finge suo totum discedere cardine Mundum :
86 impavidas mentes lapsa ruina ferit.